




HARVARD
COLLEGE
LIBRARY.


SIGILL: COLL: HARVARD: CANTAB: NOV: ANGL: 1650.
CHRISTO ET ECCLESIAE
BOUGHT WITH
THE INCOME FROM
THE GIFT OF
STEPHEN SALISBURY,
OF WORCESTER, MASS.
(Class of 1817).
16 Nov., 1886.



DE

TACITI STUDIIS SALLUSTIANIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

GEORGIUS SCHOENFELD

SILESIUS.

LIPSIAE

TYPIS BAERI ET HERMANNI.

1884.

De Taciti studiis Sallustianis.

Tacitum Sallustii studiosum fuisse iam Lipsius doctissimus eius interpres intellexit: nostra aetate similitudinis, quae inter utriusque genus dicendi intercedit, memoriam renovavit Teuffelius [1]), quem secuti viri docti hic illic in commentationibus, quas de Sallustio aut de Tacito scripserunt, ex utroque similes contulerunt locos.[2]) Nemo tamen ita rem absolvit, ut effigies imitationis Tacitinae plene expressa subtiliterque circumscripta existeret. Excepto enim Draegero viri docti omnes, quos attuli, maxime artis criticae ratione habita in orationis eorum similitudinem inquisiverunt, ita ut plerumque mirum locorum nonnullorum consensum satis haberent ostendisse: Draegerus autem, qui syntaxim eorum et in editione annalium et in commentatione peculiari, quam scripsit de syntaxi stiloque Tacitino, crebrius in comparationem vocavit, satis multa minus accurate explicavit nec quaestionem ipsam aut perfecit aut sibi proposuit perficere. — Sed hoc loco Woelfflinii commentationes in Philol. volum. 25, 26, 27 praeter ceteras praedicare non supersedeam; qui quamquam ostendit praecipue gradus orationis Tacitinae atque progressus inde ab Agricola usque ad finem annalium, tamen cum Taciti proprietates a communi illius aetatis genere dicendi recedentes accuratius demonstraret, Sallustianae quoque et Tacitinae orationis consensum attigit. Ut enim earum dicendi proprietatum, quas Sallustius, cuius orationis audaciam multi iam veterum grammaticorum castigabant, novas vide-

---

[1]) Uebersetzung des Tacitus p. 131.

[2]) Bernays. Rh. M. XVI p. 319. — Gerber. De Tacito rerum scriptore qualem bonum oratorem requisivit Quintilianus. — Leutschau 1861. [Hanc commentationem in manibus non habui.] — Woelfflin. Philol. XXVI. p. 121 sqq. — W. Teuffel. Ueb. Sall. und Tacit. Tubing. 1868. — Eussner. Exercitationes Sallustianae. Wirceb. 1868. — Urlichs. De vita et honoribus Agricolae. Wirceburgi 1868 p. 4 sq. — id. De Taciti vita et honoribus. 1879. p. 22 sqq. — Laureck. De Sall. ingenio arte rationeque dicendi. Ahrweiler 1873. p. 31. — Prammer. Zeitschr. f. d. österr. Gymnasialw. 1874. p. 704 sqq. — Wolff. Die Sprache des Tacitus. Programm d. Wöhlerschaft. Francof. 1879. p. 27 sqq. — Draeger. Ueb. Synt. und Stil des Tacit. 1882.[3] p. 125 sqq.

tur induxisse vel quas praeter ceteros adamavit, Tacitus quoque amator fuit, ita si quae proprietates apud Tacitum deprehenduntur antiquitatem redolentes, usum earum saepe ad Sallustii exemplum referendum esse cum alii censuerunt tum Woelfflinius: nec iniuria; nam ex comparatione utriusque sermonis apparebit, Tacitum qui omnium consensu rationis dicendi priscae omnino non fuit studiosus, sicubi prisci coloris verbum vel structuram usurpavit, plerumque Sallustii vestigiis insecutum esse. — Accedit quod in oratione Sallustii, quippe qui fuerit aureae aetatis in flexu, initia cernuntur iam multarum proprietatum, quae apud argenteae aetatis scriptores saepius nobis obviae sunt, in quas inquirere a quaestione nostra non videtur esse alienum. Rem ipsam aggressurus primum dicam

I. De formatione verborum.

A. De substantivis.

a) De substantivis terminantibus in -tudo. — Veterum Sallustiique, sectatoris eorum, genus dicendi secutus Tacitus substantiva aliquot in -tudo exeuntia, quae substantivorum formatio inde a Ciceronis aetate magis magisque cesserat formationi in -tas, revocavit, cum pro verbo vulgari 'claritas' verbum 'claritudo' et pro verbo 'necessitas' verbum ‚necessitudo' usurparet. Utriusque verbi usus non late patet:

a) claritudo exstat ap. Cat. orig. fr. 63. 83 P. (II. fr. 33. IIII. fr. 7 Jord.). Sisenn. hist. fr. 49 P. — Sall. Ig. 2, 4. 7, 4. Vell. II, 11. 17. 130. Tac. h. I, 85. II, 78. 83 et tricies in annalibus. Gell. 7, 5, 1 (sensu proprio);

b) necessitudo pro necessitas usurpatur a Sempr. Asell. hist. fr. 5 P. nisi summa necessitudo aut summa occasio data esset. Sisenn. hist. fr. 68 P. calamitatis necessitudine inductum. — Cic. de inv. II, 61. 98. 99. 170. 171 sqq. Sall. Cat. 17, 2 in unum omnis convocat, quibus maxuma necessitudo et plurumum audaciae inerat. Cat. 17, 5. 21, 3. 33, 5. 58, 11. 19. Ig. 19, 8. 48, 1. 102, 5. Vell. II, 50. Tac. ann. I, 9. III, 40 ferocissimo quoque adsumpto aut quibus maxima peccandi necessitudo. III, 64. IV, 20. XII, 30. Dial. c. 10 necessitudine officii.

Woelfflinius cum eas substantivorum formationes Taciti temporibus singulares fuisse contenderet, universum de iis fecit iudicium hoc[1]): „Fassen wir z. B. die Substantiva auf -tas und -tudo ins Auge, so ist die letztere Form die vorzugsweise Plautinische in der Ciceronianischen Latinität für viele Worte bereits abgedankte." Sed cum sententiam suam, quam dubitationem non habituram esse fortasse speraverit, collectione verborum non firmaret, Wolffius, qui

[1]) Philol. 25. p. 99.

universis eius sententiis, quas protulit in commentationibus laudatis, adversantis partes suscepit, hanc quoque sententiam impugnavit, ita tamen ut appareat non recte eum intellexisse, quid Woelfflinius dixisset. „Wenn, inquit, Wölfflin über die substantiva auf -tas und -tudo sagt, dass die letztere Form die „vorzugsweise Plautinische in der Ciceronianischen Latinität bereits für viele Worte abgedankte“ sei, so ist dies nicht ganz richtig. Zwar hat die Komödie des Plautus — sowie nach den Citaten zu urtheilen die Tragödie des Pacuvius und Accius — etwa ein Dutzend von Substantiven auf -tudo eigen, welche sich sonst nicht finden, dagegen gehören etwa doppelt so viele fast ausschliesslich der Prosa an von Porcius Cato weit über Plinius hinaus, und Cicero tritt auch hier als Wortbildner und Erneuerer auf mit beatitudo, concinnitudo, lentitudo u. a. m. Es kann mithin nicht von einer Abneigung des prosaischen Stils gegen die voller tönende Form die Rede sein.“ Quasi vero Woelfflinius pedestrem sermonem et poeticum inter sese opposuerit, non veteres et aureae aetatis scriptores: ex illis nominat Plautum, ex his Ciceronem, unde fit, ut Wolffii refutatio prorsus corruat. Discernemus igitur usum veterum et antiquariorum (Front. Gell. Apul.) ab aureae argenteaeque aetatis scriptoribus neque ipsius Ciceronis in libris, quo quemque tempore composuerit, neglegemus. — a) Comoediae veteris substantiva in -tudo desinentia propria sunt haec: sorditudo. Plaut. Poen. 824. tarditudo Poen. 401. ineptitudo Caecil. com. fr. 61. — b) Apud tragicos solos inveniuntur: castitudo Att. tr. fr. v. 585. desertitudo Pac. inc. inc. fab. LXIII. geminitudo Pac. v. 61. gracilitudo Att. v. 88. honestitudo Att. v. 16. 501 laetitudo Att. v. 61. 259. miseritudo Att. v. 79. 185. 187. noxitudo Att. v. 429. prolixitudo Pac. v. 124. squalitudo Att. v. 340. taetritudo Att. v. 556. temeritudo Pac. v. 149. — c) Tragoediae et comoediae communia sunt: orbitudo Att. v. 94. Pac. v. 135. Turp. com. fr. v. 211. vanitudo Plaut. capt. 569. Pac. v. 123. Inveniuntur igitur apud comicos tragicosque solos non minus duodeviginti, qui numerus augetur, si adiungimus ea, quae antiquarii — imprimis Apuleius — a veteribus mutuati sunt vel quorum usum posterioris temporis scriptores revocaverunt: severitudo Plaut. epid. 609. Apul. met. 1, 25. — hilaritudo. Pl. Cist. I. 1. 56. rud. 422. Apul. met. 1, 11. — partitudo Plaut. aul. 75. 274 Cod. Theodos. 9, 42, 10. Sulp. Sever. et Jul. Valer. — saevitudo. Plaut. Bacch. 2. Jul. Valer. 1, 9. 3, 16. — albitudo. Plaut. trin. 874. Sulp. Sever. I, 16, 5. — maestitudo. Plaut. aul. 725. Att. tr. v. 616. Pall. I, 26, 2. — paenitudo. Pac. v. 313. — Auson. — Sidon. ep. 6, 9 et al. — acritudo. Att. v. 466. Vitruv. (saepius). Gell. X, 27, 1. Apul. met. 9, 17. — Accedunt α) verbum perperitudo, quo Attius in Pragmaticis utitur (inc. fr. II. M.) β) et ea substantiva, quae poetis scriptoribusque pedestris sermonis veteribus, quibus Varronem adnumero, communia sunt: — aritudo Plaut. rud. 524. Enn. Epich. II. p. 167 V. Varr. sat. Men. 424. 428 R. r. r. I, 12, 3. cani-

tudo Plaut. ap. Fest. p. 62, 1 Varr. sat. Men. p. 94, 2 (5 R.) — vastitudo Pac. v. 314. Att. v. 374. 455. 615. Cato r. r. 141, 2. —

Apud prosaicos solos sunt: duritudo Cato. or. XVIII. fr. 8 Jord. 'Inter glossas Catonianas' ap. Fest. p. 27 M. legimus 'aletudo' cfr. Jordan. Cat. rell. p. 48. not. 6. Ex Aurelio Opilio Festus p. 173 affert verbum caecitudo. Apud Varr. r. r. III, 12, 6 exstat 'celeritudo'. In universum Varro cum aliis in rebus veteres secutus tum in hac substantivorum in-tudo formationes adamat velut assuetudo amaritudo raritudo teneritudo, quae verba alias rarius nobis sunt obvia. — Cum igitur substantiva in-tudo terminata omnia sint circa centum et quinque, pars tertia eorum (34) veterum aut propria aut iis cum antiquariis vel serioris aetatis scriptoribus communis est. Agnoscitur his quoque in substantivorum formationibus, ut multis aliis in rebus, veteris senescentisque Latinitatis consensus. — Ineunte aetate aurea, quae vocatur, studium amoremque eiusmodi formationum magis magisque evanescere videmus, quamquam Cornificius nondum ab iis abhorret; legimus enim apud eum Terentianum (Eun. 242) illud 'habitudo' IV, 10, 15, quod verbum postea Apuleio in gratia est; adde ,suavitudo' III, 12, 22, vox prisca apud Plaut. stich. 755 et ap. Non. 173, 3. Turpil. 110 nobis obvia. Primus videtur habere verbum plenitudo IV, 20, 28 (Col. 4, 30, 4. Plin. n. h. 11, 216). — Ne Cicero quidem in prioribus libris substantiva in-tudo formata respuit. In libris enim de inventione adhibet v. concinnitudo (I, 18, 25), sed postea non aliam verbi formationem habet nisi concinnitas. Satis saepe his in libris verbo necessitudo subicit eam vim, quam verbum necessitas habere solet, postea nusquam. Pro verbo lenitas ponit 'lenitudo' in Verr. 4, 136. Neque in usu verbi firmitudo progressus orationis Ciceronianae non cernitur; cum enim prioribus in orationibus 'firmitudo' saepius reperiatur, in posterioribus id desideramus. — E verbis priscis Cicero revocavit v. sanctitudo (de rep. 4, 8), quod exstat praeterea ap. Att. tr. v. 593. 646. Turp. com. v. 114. Afran. com. v. 326. Cl. Quadrig. hist. fr. 2 P. Fronto. 4, 8. Apul. de deo Socr. 3 — et ,anxitudo' (de rep. 2, 68), quod verbum apud posterioris temporis scriptores abiit in formam 'anxietudo'. Pauca substantiva in-tudo desinentia, quae a Cicerone in linguam inducta sunt — praeter 'concinnitas' huc spectant verba dulcitudo de or. 3, 99 lentitudo Tusc. 4, 19, 43 beatitudo de nat. deor. 1, 34 — si opposuerimus multis in -tas formatis, quae apud eum primum inveniuntur neque alias crebro extant, velut aduncitas efferitas excelsitas ebriositas fatuitas formositas et alia multa, facile cognoscemus quanto opere paulatim in contemptum inciderint. Inde a Cicerone usque ad antiquarios quam pauca nova deprehendamus, mirum est. Nepos induxit 'largitudo' fr. 7, 2. cfr. Char. p. 101, 2. 'largitudo nusquam invenitur nisi apud Nepotem.' Livius primus habet servitudo (24, 22, 1) — et desuetudo (1, 19, 2), Seneca philosophus ingratitudo spissitudo, Velleius celsitudo,

Celsus aspritudo, Plinius maior nigritudo, Vitruvius salsitudo, gravitudo, Petronius scabitudo. — Simulatque autem inde a Traiani temporibus scriptores veteres aureae aetatis scriptoribus praeferri coepti sunt, tales substantivorum formationes, quae per longum tempus oblitteratae erant, repetitae sunt. Ipsi Traiano verbum integritudo placuisse cognoscimus ex eius mandato aliquo, quod Ulpianus tradidit. (dig. 29, 1, 1). — Frontonem, Gellium, Apuleium passim verba prisca revocavisse iam supra monui, in quibus Gellius verbum alias non testatum 'acerbitudo' opponit verbo acerbitas (13, 3, 2) et Apuleius induxit ambitudo Ascl. 31. tristitudo met. 3, 11. apol. 32. asperitudo met. 1, 2. Posterioris latinitatis sunt verba certitudo, incertitudo, quietudo, inquietudo, disertitudo, dissertitudo, rectitudo, scabritudo, simplicitudo, crispitudo, angitudo, atritudo. — Quibus rebus explicatis iure suo Woelfflinium usum verborum in -tudo exeuntium praecipue veteribus vindicasse elucet; et quidem usitatissima sunt sermoni comico et tragico; paullo rarius adhibentur a scriptoribus pedestris sermonis; spernuntur, quia reiciuntur a metro dactylico, ab epicis et satiricis. Cicerone iuvene satis frequenti in usu videntur fuisse, sed inde ab illo tempore paulatim oblivioni dantur, a qua vindicantur demum ab antiquariis, cuius rei ipsius Gelli locus satis magno est documento. Qui cum scriberet (XIII. 3): 'Risu prorsus atque ludo res digna est, cum plerique grammaticorum adseverant, necessitudinem et necessitatem mutare longe differreque ideo quod necessitas sit vis quaepiam premens et cogens, necessitudo autem dicatur ius quoddam et vinculum religiosae coniunctionis idque unum solitarium significet. — Hoc ego scripsi de utriusque vocabuli indifferentia admonitus forte verbi istius cum legerem Semproni Asellionis, veteris scriptoris, quartum ex historia librum (cfr. locum supralaudatum),' indicavit verbum necessitudo revera tum temporis nihil ferme aliud significasse nisi 'vinculum religiosae coniunctionis'. Quanam alia de causa grammaticos illos, quos ridet, id praecepisse putabimus? Gellius exemplum suum se petivisse ex scriptore vetere non sibi est conscius.

Substantivorum in -tas desinentium significationem Gellius loco laudato a substantivis in -tudo terminatis omnino non differre tradidit, quamquam alio loco (17, 2, 19) verbo sanctitudo maiorem dignitatem tribuit, quam verbis sanctitas et sanctimonia. Gelli temporibus quod verbis in -tudo maior quaedam dignitas subiciebatur, nihil miri habet, quoniam verbis priscis maius pondus maiorque ferme dignitas inest; alia res est, num etiam apud ipsos veteres haec verborum differentia valuerit. Et hic Gelli iudicium comprobare videtur usus eorum verborum apud tragicos frequentissimus. Nam etsi plerosque eorum versus, quibus vocabula illa continentur, iis ipsis vocabulis debemus, quoniam grammatici studiosissime ea indagabant, tamen numerus eorum verborum, quae apud tragicos solos extant, maior est, quam apud ullum alium scriptorem.

b) -men et -mentum.[1]. — Ad Taciti studia veterum Sallustiique videtur esse revocandus substantivi 'cognomentum' usus, quod exstat apud Plaut. Pers. v. 60. mil. gl. v. 1038. — Pseud. v. 976. — apud poet. ap. Cic. de fin. II, 2, 15. — apud Sall. hist. fr. II. 40 (49)[2] — IV. 35 (50). — apud Tacitum hist. II, 43 et sexiesdecies, quodque posteriore tempore (Ammian. Aur. Vict. Hieronym.) frequentiore in usu est. Messallam quoque hoc verbo uti solitum esse testatur Seneca suas. II. p. 17 K. Ad verbi cognomentum similitudinem quod Apuleius veterum sectator etiam 'agnomentum' finxit (apol. 56), non mireris. —

Inde a Sallustio in usu sunt substantiva

a) turbamentum — quod nusquam invenitur nisi apud Sallustium et Tacitum. Sall. hist. I. 41 (45), 25 turbamenta rei publicae. Tac. hist. I, 23 turbamenta vulgi. —

b) dehonestamentum — Sall. hist. I. 41 (45), 11. Fufidius, ancilla turpis, honorum omnium dehonestamentum. hist. I. 55 (57) quin illo dehonestamento corporis (effosso oculo) maxime laetabatur (Sertorius). Senec. de const. sap. 19, 3. Tac. hist. II, 87 scurrae histriones aurigae, quibus ille amicitiarum dehonestamentis mire gaudebat. h. IV, 13. Sertorium se aut Hannibalem ferens simili oris dehonestamento (sc. effosso oculo). ann. XII, 14. XIV, 21. Just. XXIII, 1, 16. XXVIII, 2, 9. Treb. Poll. Claud. 5. Antipater ancilla honorum et historicorum dehonestamentum. Ammian. XXVI, 6, 16 dehonestamenta honorum omnium.

c) hortamentum. Sall. Ig. 98, 7. Liv. 7, 11, 6 in conspectu parentum coniugumque ac liberorum, quae magna etiam absentibus hortamenta animi tum subiecta oculis militem accendebant. Tac. hist. IV, 18 coniuges parvosque liberos consistere a tergo iubet, hortamenta victoriae vel pulsis pudorem. — et ap. al.

Apud Tacitum primum exstant verba vimentum pro verbo vimen vulgari (ann. XII, 16), eiectamentum (Germ. 45. Apul. apol. 35), meditamentum (ann. XV, 35. hist. IV, 26. Gell. 8, 10. Ammian. 23, 4, 10). —

Terminationem-mentum a principio nihil aliud esse nisi terminationem -men participialem suffixo -to amplificatam cum alii statuerunt tum Corssenus. Sed substantiva in -mentum exeuntia iam mature a substantivis in -men terminatis sese discreverunt, ita ut magis ad significationem instrumenti inclinarent. Poetae soli, quibus propter metrum in contemptu erant substantiva in -mentum formata, illam alteram substantivorum formationem utique in usum suum converterunt. Quodsi eiusdem substantivi et in -men et in -mentum formationes exstant, illam vindicabimus poetis, hanc sermoni pedestri.

---

[1]) De substantivis in -men et -mentum desinentibus fusius disputavit Corssen. Krit. Nachtr. zur lat. Formenlehre p. 125 sqq.

[2]) i. e. fr. 40 D. — 49 Kr.

Tacitus, qui sermoni poetico magno opere indulsit, hac quoque in re poetas secutus prioribus in libris interdum substantiva in -men terminantia substantivis in -mentum praetulit, praecipue in Germania, qui liber omnium maxime colorem redolet poeticum: pro 'velamentum' posuit 'velamen' Germ. 17. — pro 'hortamentum' 'hortamen' Germ. 7. — pro 'fragmentum' 'fragmen' hist. V, 6. ann. I, 61. — pro 'levamentum' 'levamen' hist. V, 3. Ceterum postea ad generis dicendi pedestris formationes eum redisse iam Woelfflinius monuit. —

c) Neque ad Taciti studia veterum non spectat usus verbi '**satias**' formationis solitariae: Plaut. Pseud. 322. Ter. Eun. 972. Hec. 594. Lucil. XXIX. 68 M. Att. v. 176. 659. Lucr. 2, 1036. 5, 1389. Sall. h. II. 29 (35). Liv. 30, 3, 4. Sil. 4, 110. Tac. ann. III, 30. 54. VI, 38. XVI, 16. Ammian. 18, 2, 4 19, 2, 14. — Pro 'satias' legimus 'saties' apud Plin. n. h. 8, 209 et in C. I. L. 8, 1523 viximus ad satiem.

d) -do. — Ad quaestionem nostram pertinet substantivum 'torpedo' pro 'torpor', quod invenimus apud Catonem carm. de morib. fr. 3. p. 83, 7 Jord. si nihil exerceas inertia et torpedo plus detrimenti facit quam exercitio. Sall. hist. I. 48 (51), 19. III. 61 (82), 20. Tac. h. III, 63. Eius verbi mentio fit etiam a grammaticis. cfr. Prisc. I. p. 122, 10 H. —

Substantivorum in e-do terminantium conformationes respondere adiectivis in -i-dus probabilissime dixit Corssenus[1]), cui nihil obstare videtur, quod Graeci ut substantiva in *-η-δων* (*ἀλγηδών* al.) ita non conformaverunt adiectiva in *-ι-δος*.

Pro ē longa habemus ī longam in verbis cupido — formido — libido. Sed apud Lucretium pro verbo cupido invenitur quinquies cuppēdo (1, 1081 al.), quod verbum vulgo angustius valet pro 'bellaria'. Substantivorum in -edo terminantium significatio cum artis finibus sit circumscripta, usus quoque eorum apud scriptores non late patet. Creberrime ita conformata sunt nomina morborum velut gravedo, uredo apud optimos scriptores: praeter ceteros inveniuntur ea videlicet apud eos, qui de medicina vel de rebus rusticis scripserunt; velut pinguedo apud Plinium et Palladium, raucedo, putredo apud Cael. Aur., turpedo apud Marc. Emp., faredo apud Plin. Valer. Ad eorum exemplum Plautus videtur finxisse verbum absumedo. (capt. 904). — Deinde his appellationibus significantur colores et sapores velut albedo, nigredo, rubedo, acredo, dulcedo, salsedo. Rarius haec verba pertinent ad animi naturam cupido formido libido torpedo, mulcedo. (Gell. 19, 9, 7 al.)

e) -ia. — Ex substantivis in -ia desinentibus affero verbum 'v e c o r d i a' quod Sallustio Tacitoque praeter ceteros in deliciis est: hoc verbum invenitur apud Ter. Andr. IV, 1, 2. Nov. com. fr. v. 41[1]. Sall. Cat. 15, 5. Ig. 5, 2. 72, 2. 94, 4. 99, 3. Ov. met. XII, 227.

---

[1]) Krit. Beitr. p. 108.

Tac. ann. III, 50. IV, 22. XI, 26. XIV, 62. XVI, 3. Aurel. Vict. caes. 33, 13. 41, 27.

Neque ab hoc loco abhorret verbum properantia Sallustii Tacitique proprium: Sall. Ig. 36, 3. Tac. ann. XII, 20. — Substantiva a participiis praesentis activi flexa, quae nec formatione nec significatione distant a substantivis in -ia exeuntibus, quae ducta sunt ab adiectivis, a principio exprimunt statum, cum substantivis a participiis perfecti passivi profectis insit notio actionis. Si Cicero dicit, 'haesitantia linguae' (Phil. 3, 16), intellegi vult vitium linguae; haesitatio est actus haesitandi; efficientia est efficacia, effectio actio efficiendi et al. — Sed propter participiorum vim verbalem factum est, ut etiam substantiva a participiis praesentis activi ducta abirent in notionem verbalium; quamquam eiusmodi notionem substantivorum crebrius reperies posteriore demum tempore, quo finguntur talia substantiva, qualia sunt apparentia, aequiperantia, colligentia, dinoscentia et alia multa. Neque in substantivi Sallustiani 'properantia' formatione ceteri non offenderunt excepto Tacito. Ipse Tacitus copiam substantivorum a participiis praesentis activi ductorum, quae a veteribus omnino non adamata inde demum a Ciceronis aetate crebrescunt, auxit verbis prodigentia (ann. VI, 14. XIII, 1. XV, 37) et irreverentia (hist. III, 51. ann. III, 31. XIII, 26. Plin. ep. 6, 2, 5) iuste fabricatis. —

f) De substantivis verbalibus in -us terminatis. — Ac primum huc referendum est substantivum 'ostentus' perrarum, sed ut videtur iam a C. Graccho usurpatum: or. 6 p. 236 Meier. 'Quod unum nobis in ostentum, ipsis in usum adportatur.' (cfr. Fest. p. 201). Deinde exstat hoc verbum apud Sall. Ig. 24, 10 ut Iugurthae scelerum ostentui essem. Ig. 46, 6 illa deditionis signa ostentui credere. Tac. hist. III, 35 ostentui mittere. ann. I, 29 corpora extra vallum abiecta ostentui. XII, 14 ostentui clementiae. XV, 29 iturum Tiridaten ostentui gentibus. XV. 64 ut ostentui esset (sc. pallor) multum vitalis spiritus egestum. Gell. XX, 1, 48 atrocitatis ostentu. Vopisc. Aurel. XXX, 2 ut populi Romani oculis esset ostentui.

Inde a Sallustio in usu scriptorum sunt

a) contactus. α) sensu proprio apud Verg. Aen. 3, 227. Ov. met. 7, 239. Col. 11, 3. Plin. 8, 15, 16 et saepius apud Celsum. β) sensu translato apud Sall. hist. I. 48 (51), 9. Liv. 4, 30. — Tacit. Agr. 30. hist. I, 11. II, 60. ann. I, 43. IV, 49. VI, 7.

b) incultus[1]. Sall. Cat. 55, 4. Ig. 2, 4. Liv. 42, 12, 7. Tac. ann. IV, 46 'contusi Thraecum gentibus, qui montium editis incultu atque eo ferocius agitabant' — quem locum conferimus cum Sall. Ig. 89, 7 in omni Africa, quae procul a mari incultius agebat. adde Ig. 19, 5.

c) obtentus. — α) sensu proprio Verg. Aen. XI, 66. Seneca Herc.

---

[1]) Hoc verbum Ribbeckius legendum proposuit Pacuv. tr. v. 314 'incultu ac vastitudine' pro 'inculta vastitudine'.

fur. 359 vestis obtentu. Plin. n. h. 31, 1, 1 nubium obtentu. Justin. V, 8, 12. XIII, 6, 5. β) sensu translato. Sall. hist. I. 41 (45), 24. secundae res mire sunt vitiis obtentui.[1] — Liv. 1, 56. 8 sub eius obtentu cognominis. — Val. Max. VI, 5, 4 maiestatem publicam privatae perfidiae obtentui esse. — Tac. hist. I, 49. sed claritas natalium et metus temporum obtentui, ut, quod segnitia erat, sapientia vocaretur. hist. II, 14. ann. I, 10 obtentui sumere. ann. XII, 7 obtentum habere. — Gell. X, 22, 1. Lact. Arnob. Aurel. Vict. Caes. 2, 2 flagitiis obtentui.

d) positus. Sall. hist. II. 1 (1) insulae. Ov. a. a. 3, 151 med. fac. 19. met. II, 412. Pont. 4, 7, 23. Cels. praef. — Tac. ann. IV, 5 regionis. VI, 21 siderum. Gell. IV, 17, 8.

e) transgressus. Sall. hist. I. 65 (64). Tac. ann. VI, 37. XI, 10. — XV, 7. Aurel. Vict. Caes. 40, 23. 42, 14.

Substantiva verbalia, quae Tacitus primus adhibet, enumeravit Draegerus (De synt. et stilo Tac. §. 249, 2). Sunt autem haec: adnexus aemulatus dispositus distinctus escensus provisu relatus subvectus. Sed verbum advectus quoniam Georges iam ex Varrone (d l. l. 5, 43) protulit, collectioni verborum, quae apud Tacitum primum vel solum legerentur, eximere debuit. Substantivorum igitur verbalium in -us desinentium, quae Tacitus in linguam induxit, ut numerus satis magnus est, ita substantivum verbale in -io desinens ne unum quidem apud eum novum deprehendimus, quae res argumento est, quanto opere haec verbalium formationes, quae aureae aetati erant probatae, in dies magis ab illis loco motae sint. —

Fusius videtur esse dicendum de formatione substantivi 'incultus'[2], cum a praeceptis grammaticorum, qui substantiva verbalia cum 'in' vel 'ne' particulis negativis coniungi negant, videatur abhorrere. Substantiva negativa, quae vocantur, non esse composita ex substantivo et 'in' negativo, sed conformata ex adiectivis negativis inter omnes constat. (ingrat-ia, ingrat-i-tudo, iniur-ia, immodest-ia, impudent-ia, insan-ia, invenus-tas pro invenusti-tas et al). Quae cum ita sint, a principio conformata sunt substantiva negativa nonnisi terminantia in -tas -tudo -ia -ies id est ea, quae ab adiectivis derivata sunt: nam incommodum, infortunium, nefas, alia pro adiectivis ducemus. Sed verbalia negativa ficta non sunt nisi ex verbis negativis, quae ipsa quoque ab adiectivis negativis originem traxerunt. Omnium igitur in usu sunt substantiva ignoratio, improbatio, indignatio, infirmatio, infitiatio, quibus Seneca rhetor adiungit 'inquietatio'. ‚In' negativum nihil pertinet ad actionis notionem, quae his verbis significatur, sed tantum ad adiectivum in iis latens. — Praeter substantiva, quae attulimus, apud optimos scriptores alia non leguntur nisi 'inapparatio' apud Cornif. II, 4, 7. — 'infinitio' apud Cic. de fin. I, 6, 21 et 'immoderatio' apud

---

[1]) adde Ps. Sall. ep ad Caes. sen. de rep. ord. II, 11, 5. tabula obtentui erit.
[2]) Haase. Vorlesgn. über lat. Sprachw. I. p. 126 sqq. (Eckstein.)

Cic. pro Sull. 30. Sed verbum 'inapparatio' Cornificius loco laudato finxit, ut opponeret verbo 'apparatio'; verba autem 'infinitio' et 'immoderatio' substantiva vere verbalia non sunt aestimanda, quoniam participia quoque 'infinitus' et 'immoderatus' ad adiectiva defecerant: ex participiis autem substantiva conformabantur tantummodo in -io; immoderatitas et infinititas, quomodo iuste erant fabricanda, displicuissent. Ceterum ne ea quidem substantiva a participiis negativis ducta, quae significatione non differebant a substantivis flexis ab adiectivis negativis, linguam libenter formasse solitaria illa exempla testes sunt. Posteriore demum tempore inde ab Apuleio tales substantivorum formationes latius patebant, velut inconsideratio, incorruptio, immemoratio, inordinatio, imperfectio, imperturbatio, quae substantiva tantum formatione sunt verbalia, non significatione. 'Incorruptio' idem est ac ,incorruptitas', 'imperfectio' ac 'imperfectitas' etc. — Sed magnae dicendi depravationis sunt substantiva 'inconnexio' et 'inhonoratio'. —

Neque substantiva verbalia, quae in -us desinunt, 'in' negativum non abnuunt: atqui legimus 'inconsultu meo' apud Plaut. trin. v. 167, incultu apud Sallustium et Tacitum (vide supra. Liv. 42, 12, 7 per incultum ac neglegentiam), invocatu meo apud Front. ep. ad Ver. I. p. 114, 26 N., et 'iniussu' inde a primis temporibus omnium in usu est. — Haec substantiva quamquam vulgo tantummodo ablativo casu adhibentur, tamen adduci non possumus, ut Lachmannum (ad Lucr. 1, 454) sequamur, qui eam ob rem loco ex Livio laudato pro 'per incultum ac neglegentiam' 'per indultum ac neglegentiam' scribi voluit. Huius enim substantivi in accusativo non offendendum esse arbitror, quia significatio eius quanto opere recedat a ceteris, quorum vis verbalis manifesta est, facile cernitur. Probabilius vir doctus versum Lucretii (1, 454) ut spurium eiecit, ubi est substantivum 'intactus' casu primo. Formationis substantivorum inconsultu, iniussu, invocatu causa repetenda videtur esse a studio quodam brevitatis dicendi; accedit analogia participiorum negativorum, inconsulto senatu indicta causa, inorata causa et al. mult.

Sed cum hac versemur in quaestione, licuerit eam longius proferre atque in considerationem vocare etiam verba negativa. Quae enim O. Müllerus (ad Fest. p. 107) docuit: ,in' quod abnuitionem significat, non componitur cum verbis exceptis participiis' per longum tempus nullo repugnante valuerunt, cum P. Langenus in quaestione de verbi 'inconciliare' Plautini origine significationeque hanc in rem denuo inquisivit[1]) ad sententiam vulgarem refellendam. Argumentationem viri docti secuturi eam quaestionem retractabimus, ut videamus, quid ex sententia eius sit improbandum, quid recte exposuisse videatur. — Orditur Langenus ab iis participiis, quae quamquam vim verbalem retinuerint plene expressam tamen cum 'in' negativo componantur; quo in genere enumerat 'non me indicente haec fiunt'. Ter. Ad. 507. —

[1]) Beitr. zur Krit. und Erkl. des Plautus p. 181.

'etiam me indicente'. Liv. 22, 39, 2. — ,insperante hoc.' Ter. Andr. 603. — 'qui aliquid agit, non esse inficientem eum dicimus'. Varr. l. l. VI, 78. Ac primum loco e Varrone prolato 'inficiens' vim verbalem plene expressam retinuisse viro docto non credo. Ablativi autem absoluti, qui vocantur, 'me indicente' et 'insperante hoc' consentiunt cum praecisa illa dicendi consuetudine, quam, ut iam supra attigi, Latini non nisi in ablativi usu videntur esse secuti iniussu inconsultu indicta causa infecta re. Sed ne his quidem in participiis vim verbalem plene expressam esse arbitror, cum minus actio subiecti respiciatur, quam eius qualitas. Non minore audacia Sallustius dicit hist. I, 55 (57) multaque tum ductu eius manuque patrata primo per ignobilitatem deinde per invidiam scriptorum incelebrata sunt, (celebrata codd. — celata Hertz-Dietsch. — incelebrata Iac. Gron.), ubi 'incelebrata sunt' Gronovius acute restituit ex Tacito, Sallustii imitatore, ann. VI, 7. 'nobis pleraque digna cognitu obvenere, quamquam ab aliis incelebrata.' His locis 'incelebrata sunt' non esse prorsus idem ac 'non celebrata sunt' facile sentimus. Participium 'incelebratus' iam multum naturae verbalis deposuit, id quod aliis locis etiam magis dilucidum est velut Hor. carm. III, 25, 7 Dicam insigne recens adhuc Indictum ore alio. Liv. 5, 15, 10 Itaque quae tum cecinerit divino spiritu instinctus ea se nec ut indicta sint revocare posse. Auson. parent. 20 nec tu iam metris meis immemoratus eris. — Quoquo igitur modo participia et praesentis activi et perfecti passivi usurpata sunt, cum utique prope accedant notionem adiectivorum, nihil afferunt ad quaestionem de verbis negativis absolvendam, utrum ipsa verba cum 'in' negativo componantur necne. Iam videamus cetera, quae P. Langenus affert ad sententiam suam confirmandam, quomodo se habeant. Ac primum verbum 'infitiari' compositum esse contendit ex 'in' negativo et 'fateri' deinde affert verbum 'indecet' Plinianum ep. III, 1, 2 nam iuvenes adhuc confusa quaedam et quasi turbata non indecent; — accedere quod 'ignoscere' non possit intellegi nisi verbum ex 'in' negativo et 'noscere' compositum, atque significationem verbi 'improbare' non consentire cum notione adiectivi 'improbus' propiusque accedere ad 'non probare'. —

Sed si iis verbis, quae attulimus, ratus est demonstrari posse, ipsa verba componi cum 'in' negativo neque duci ab adiectivis negativis, cur non proposuerit etiam verba 'nequire', 'nolle' 'indignari' alia, non intellegitur. In universum P. Langenus non plane recte hanc quaestionem mihi videtur explicavisse. Offendendum esse in eorum sententia, qui verba negativa utique ipsis ex adiectivis negativis derivata esse arbitrantur, mihi quoque persuasum est. Ut verbis 'infirmare' 'indecorare' 'incommodare' 'nescire' vix fieri potest, quin adiectiva 'infirmus' 'indecorus' 'incommodus' 'nescius' subicienda esse putemus, ita adiectiva multis in verbis velut nequire nolle negligere ignoscere infitiari continentur tantum modo logice, non grammatice. Nam 'nequeo' ex 'nequus' vel 'nequis', 'nolo' ex 'nevolus', 'negligo' ex 'neglex' 'ignosco' ex 'ignos', 'infitior' ex 'infitius' ducere nimis videtur esse

quaesitum. Multo probabilius dicemus ad analogiam verborum ex adiectivis negativis ductorum 'in' vel 'ne' negativum adiunctum esse aliis quoque verbis ita ut negatio pertineat non ad verbi notionem, sed ad vim adiectivi in verbo latentis. Aliud esse dicere 'indecet alqd. alqm.', aliud non decet alqd. alqm.' in promptu est, sed grammatice 'in' simpliciter ad verbum 'decet' accessisse puto, logice ad adiectivum in verbo latens. Quam ob rem Brixii iudicium, quod fecit de verbis negativis ad trin. v. 136 „inconciliare kann nicht das Gegentheil von conciliare bedeuten, da nach O. Müller's richtiger Bemerkung zu Fest. p. 107 'in' nur in Adjektiven und Participien negativen Sinn hat" ferri non potest. 'Inconciliare' verbi 'conciliare' dicere contrarium non esse posse non minus falsum est, quam si quis negaret 'improbare' esse posse contrarium verbi 'probare'. 'Inconciliare' quominus pro 'inconcilium facere' ducamus, formatio verbi non impedit. P. Langenus hoc quoque in verbo negationem non pertinere nisi ad adiectivum in verbo latens ut non animadvertit, ita mihi recte videtur 'in' pro negativo accepisse, quae significatio verbi negativa optime patet in Bacch. v. 551 'Ille quod in se fuit accuratum habuit, quod posset mali faceret in me, inconciliaret copias omnis meas.' Neque absonum est, quod 'inconciliare' abiit in notionem verborum 'ludificare' 'decipere aliquem' vel 'incommodare alicui' trin. v. 136. Pers. v. 834. Most. v. 613. Quod attinet ad notionem verbi 'improbare', quam Langenus non plane consentire censet cum notione adiectivi 'improbus' propiusque accedere ad 'non probare', oppono notionem verbi 'improbare' non longius recedere ab adiectivo ,improbus' quam 'probare' a 'probus', quam ob rem hoc verbum ab ipso adiectivo negativo profectum esse dicemus. Inter Odofredi igitur Mülleri sententiam et Pet. Langeni media est incedendum via, ita ut in verbis negativis existimemus negationem utique pertinere tantum ad adiectivum, sed omnia verba negativa ipsis ab adiectivis negativis ducta esse negemus. —

Cum 'in' negativo a principio componuntur nonnisi adiectiva, ad quae transeo.

B. De adiectivis.

a) Adiectiva negativa apud Sallustium primum leguntur haec: incuriosus, importuosus, intutus, inquies et participia incelebratus immutilatus, impollutus, intectus, quae alias raro adhibita omnia in deliciis sunt Tacito praeter 'immutilatus'. —

α) incuriosus. Sall. hist. IV, 65 (66) statio incuriosa Liv. 8, 38, 2. 29, 32, 2 (adv.) Plin. n. h. 16, 110 (adv.) apud Tacitum 1) absolute hist. I, 34, 79. II, 88. III, 6. V, 22. ann. VI, 17. 2) cum genetivo apud Tacitum primum Agr. 1. hist. I, 49. III, 56. ann. II, 88. IV, 32. XV, 31, 3) cum dativo hist. II, 17. ann. XIV, 38. — Plin. ep. 8, 20, 1. Suet. Aug. 79. Galb. 3. Gell. 2, 28. 6, 5 saep.

β) importuosus. Sall. Ig. 17, 5. Liv. 10, 2, 4. Senec. cons. ad Helv. 7, 8. ep. 28. Plin. n. h. 4, 73. — Tac. ann. IV, 67. Plin. ep. 6, 31.

γ) intutus. Sall. hist. I, 48 (51), 17. Liv. 5, 45, 2. Plin. n. h. 34, 139. (Detl. institutum). Tac. hist. III, 76. ann. I, 38. II, 42. IV, 3. XII, 36. al. Aurel. Vict. Amm.

δ) inquies. Sall. hist. I, 7 (8.) I, 48 (51), 11. 16. II, 35 (45). IV, 27 (60). Liv. ap. Plin. n. h. praef. 16 (?). Vell. 2, 68, 3. 77, 2. Tac. ann. I, 65. 68. 74. III, 4. VI, 18. XVI, 14. Apul. 2, 16. 9, 42. Adiectivum 'inquies' in eorum adiectivorum numero habendum est, in quibus suffixum -to participiale debilitatum est in -t, quod excidit ante s litteram; quibus de adiectivorum formationibus Corssenus[1]) instituit quaestionem luculentissimam, cuius summam complexus est his verbis[2]): „In den Compositen locuple-t-s, mansue-t-s, indige-t-s, caespe-t-s und in den einfachen Adjektiven damna-t-s, sana-t-s, tere-t-s ist das Participialsuffix -to zu -t abgestumpft worden.“ Num verba caespe-t-s et tere-t-s Corssenus recte dixerit esse composita cum suffixo-to non meum est quaerere; neque de adiectivo 'indiges' res certa videtur esse. Sed adiectiva 'locuples' 'mansues' ‚damnas' et 'sanas' quin sit participia, vix quisquam dubitabit. Huc igitur referenda esse puto etiam adiectiva 'quies' et 'inquies'. Eiusmodi participiorum formationes maxime veteribus probatas fuisse ex usu eorum apparet; nam ut locuples duravit, ita cetera non inveniuntur nisi apud veteres eorumque sectatores:

mansues. Plaut. Asin. 145. Cat. epist. fr. 7. Jord. Acc. fr. 453. Varr. sat. Men. 364. Gell. 5, 14, 21 et saepius apud Apuleium. —

damnas est vox legum propria.

sanas exstat in duodecim tabulis (sanates).

quies. — Naev. bell. pun. lib. 2. fr. 1. — Licin. Macer. ann. fr. 7. P.

inquies — vid. supr. —

ε) incelebratus. Sall. hist. I, 55 (57). Tac. ann. VI, 7.

ζ) impollutus. Sall. hist. I, 41 (45), 11. Sil. 13, 679. Tac. ann. XIV, 35. XVI, 26.

η) intectus. Sall. hist. II, 21 (27) domus. hist. fr. inc. 18 (III, 57.) cetera (?) intectum corpus. inc. 59. (25) corpora. Senec. de prov. IV, 13.[3]) Tac. Germ. 17. cetera intecti. hist. IV, 46. corpore. 77. id. V, 22. ann. II, 59 pedibus. III, 41 capite. ann. IV, 1. XIII, 35. Plin. ep. Apul. met. 3, 20. 9, 20. 30. 32. 10, 31. Aur. Vict. Caes. 21, 3. Amm. 19, 11, 15. 23, 6, 84. —

b) De adiectivorum gradibus. — Ac primum ad quaestionem

---

[1]) Krit. Nachtr. zur lat. Formenlehre p. 253 sqq.
[2]) l. l. p. 257.
[3]) Is locus Draegerum [ad ann. II, 59. IV, 1] fugit.

nostram pertinet adiectivi 'maturus' superlativus, quem Tacitus finxit non 'maturissimus', ut solet, sed 'maturrimus', cfr. ann. XII, 65. robur aetatis quam maturrimum precari. Sed ex Placidi glossario[1]) cognoscimus ab aliis quoque, imprimis a Sallustio, hanc superlativi formam adhibitam esse, nisi forte Placidus respicit ad adverbium 'maturrime', quod frequentiore in usu est: Cat. fr. or. I, 6 Jord. Cic. de or. III, 20, 74. Caes. b. g. I, 33, 4. Sall. hist. I, 44 (47) 48 (51), 16. Tac. I, 83. XV, 74 al.

Deinde Sallustio Tacitoque communis est superlativus 'strenuissimus'. De comparatione adiectivorum eorum, quae vocalem ante terminationem habent, Priscianus docet haec (p. 86. H.): 'Inveniuntur quaedam, quae quamvis sint accidentia, id est adiectiva, et eorum significatio exigat, ut faciant comparativa, tamen non habentur in usu frequenti. Sunt autem ea plerumque, quae vocales ante -us habent, ut pius egregius arduus dubius strenuus. Vetustissimi tamen huiuscemodi comparativis sunt usi'[2]). Priscianus hoc loco eam dicendi proprietatem vetustissimis vindicat, cui addendum est retinuisse eam sermonem cottidianum. Cicero enim (Phil. 13, 43) superlativum 'piisimus' ab Antonio usurpatum omnino nullum esse in lingua latina, sed ab eo novum inductum cum contenderet, qui superlativus postea sexcenties in titulis adhibitus invenitur neque a scriptoribus primi post Chr. n. seculi reiectus est [Senec. contr. 9, 27, 14. Senec. cons. ad Polyb. 7, 4. Curt. 9, 6, 17. Tac. Agr. 43], Ciceroni tum omnino eum non adhibitum esse non credemus, sed sermoni vindicabimus eum cottidiano. Neque ceteros horum adiectivorum comparativos et superlativos paucis exceptis invenimus nisi apud veteres eorumque sectatores aut apud eos, quorum oratio propior est sermoni cottidiano. Legimus apud Plautum Ep. 442. strenuior. Pseud. v. 115 strenuissime, qui superlativus exstat etiam apud Cat. r. r. praef. §. 4. Lucil. XVI. v. 19. M. Sall. Cat. 61, 7. Plin. n. h. 18, 6. Tac. hist. IV, 69. Front. ad amic. I, 6. Eutrop. X, 9. Veget. d. r. m. I, 8. — industrior Plaut. Most. 143. adde Cat. or. XXXVI. fr. 2 Jord. C. Gracchus or. 9. M. patruissimus Plaut. Poen. 5, 4, 24. — Longe plurima habet Cato. or. XII, inc. sed. fr. 1. perpetuissimo curriculo. or. XXXIII. fr. 1. perpetuius. or. III. arduissimo aditu. inc. libr. fr. 2. iter arduius. or. X. innoxiorem. Apud Varronem sunt 'assiduissimus' r. r. 2, 9, 16. 10, 6 adde Cic. Brut. 91, 316. Suet. Aug. 71 — et 'caesissimus' l. l. 8, 76 — Apud. Pacuv. tr. v. 230, Lucret. 4, 469. Juven. 11, 12 legimus 'egregius' pro 'egregiius' et 'egregiissimus'. Praeterea pauca reperies: noxior apud Senec. clem. I, 13, 2. — vacuissimus apud Ov. Pont. III, 1, 141. — exiguissimus apud eund. her. 14, 115. —

---

[1]) p. 64 D. cfr. Neue Forml. II, p. 106. —

[2]) Draeger. Hist. Synt. I, p. 22. sqq. — Neue II, 112 sqq. Kühner I, p. 260. sqq.

C. De Verbis.

1) Sallustii Tacitique proprius est usus verbi ‚occanere' locis his: Sall. hist. I. 71 (69) cornicines occanuerunt. fr. inc. 82 Kr. cornua occanuerunt. Tac. ann. II, 81 occanuere cornua. — Reisigius [1]) Sallustium hoc verbum finxisse ratus est ad significandum plenum cornuum clangorem, cui Reisigii sententiae Haasius [2]) addit, Sallustium cavisse mali ominis notionem verbi occinere propriam. (Liv. VI, 41, 8. X, 40, 14.). — Quamquam praecipue Reisigii sententiam multum habere probabilitatis non nego, tamen quaeritur, num talis verbi compositi formatio haud ita convenerit linguae. Vocales verborum in compositione utrum debilitentur an plenae retineantur, compositionis ipsius ex ratione modoque aptum esse satis constat. Si verbum compositum accentu communi continebatur, vocalis verbi plerumque solebat debilitari; sin autem singulae verbi compositi partes sui quaeque accentus paululum retinuerunt, verbum ipsum retinebat vocalem plenam. Unde fit, ut verba cum praepositionibus unius syllabae composita vocales habeant plerumque debilitatas, contra ea, quibus praepositiones duarum syllabarum antecedunt, plenas. Sed vix ulla alia in re linguam latinam scimus adeo sibi non constare, quam in hac, ita ut certi aliquid praecipi non possit, quod quidem cadit cum ceteras in litteras tum maxime in a litteram. Brambachius [3]) quoniam exposuit, quam magna sit inconstantia linguae in compositione eorum verborum, in quibus a littera mutatur cum e (consacro et consecro, contracto et contrecto, praecanto et praecento al.) pergit: „Ebenso giebt es Schwankungen zwischen den ursprünglichen A und der Abschwächung I. So hat man nicht nur in minderfesten Zusammensetzungen A, wie perfacilis neben difficilis, posthabeo neben perhibeo, sondern überhaupt erscheinen die Umlautungen zu E und I nicht nach bestimmten Gesetzen." — Neque in compositis verbi canere hanc inconstantiam desideramus: etsi enim multo usitatior est debilitatio a litterae in i (accinere, concinere, occinere, praecinere, succinere), tamen a litteram retineri non inauditum est. Varr. l. l. VI. 75 VI. 75 commemorat verba 'accanit' et 'succanit'. Plinio maiori in usu sunt verba 'recano' et 'praecano', quorum illud exstat in n. h. 10, 102. 28, 19 et iam apud Verg. cul. v. 13, hoc 29, 69. — Quod si Sallustium ad significandum cornuum clangorem verbum 'occanere' praetulisse illi alteri non improbabile est, tamen vocales in verbis compositis omnino non esse tractatas certa ex norma non neglegendum est. — Minus singularis est usus participii 'superiactus' Sallustio (hist. II. 83 [81]), Plinio (11, 270), Tacito (hist. III, 29. V, 6) usitati. —

2) Ex verbis incohativis, quae vocantur, habent commune verbum 'insolesco'. Sall. Cat. 6, 7. Tir. ap. Gell. VII, 3, 15. Tac.

[1]) Vorles. p. 252. —
[2]) Anmk. zu Reisig. Nr. 294. —
[3]) Neugest. der lat. Orthogr. p. 78.

hist. II, 7. ann. II, 63 et 75. Just. 31, 8, 8. Aur. Vict. Caes. 39, 12. Ceterum conferantur Sall. Ig. 40, 5 insolentia ex rebus secundis. Tac. hist. II, 7 rebus secundis etiam egregios duces insolescere. Just. 31, 8, 8 secundis rebus insolescere. — Verborum incohativorum Sallustius et Tacitus omnino sunt amatores; ex iis, quae alias rarius inveniuntur, enumerari possunt: glisco. Sall. hist. III, 31 (35). Tac. h. II, 8. 83. IV, 25. 43 et undevicies in annalibus. — enitesco. Sall. Cat. 54, 4. Tac. ann. XI, 7. XII, 58. — desenesco Sall. hist. I. 93 (95). insenesco. Tac. ann. IV, 6. — pavesco Sall. Ig. 72, 2. Tac. hist. IV, 7. 14. ann. I, 4. 59. XIV, 33 et saep. — expavesco hist. II, 76. — torpesco Sall. Cat. 16, 3. Ig. 2, 4. Tac. hist. I, 71. — gravesco. Tac. ann. I, 5 et al. —

3) Ex verbis frequentativis eodem modo in usu habent verbum 'ductare' Plauto et Ennio usitatum et quidem locutionem 'exercitum ductare': Sall. Cat. 11, 5. 17, 7. 19, 3. 38, 1. 70, 2. Tac. hist. II, 100. — Verbo 'ductare' subiciebatur sensus obscenus (concubinam ductare et al.), unde factum est, ut etiam locutio 'exercitum ductare' una cum locutione 'bellum patrare' ipsa quoque apud Sallustium et Tacitum nobis obvia[1]) detorqueretur in obscenum intellectum (cfr. Quintil. 8, 3, 44). Exercitus videlicet intellegendus est puellarum, et quoniam dicebatur obscene 'coitum patrare' (Anth. lat. 358, 5 R.) vel tantum 'patrare' eodem sensu (Porph. ad Hor. sat. I, 5, 84), 'bellum patrare' ad bellum nocturnum referemus. —

Verba frequentativa praecipue sermonis sunt cottidiani, ut ex usu eorum apud comicos apparet, et narrationis historicae. Neque Sallustio Tacitoque non sunt in gratia; in iis, quae rariore in usu sunt, numeramus 'despectare'. Sall. hist. II. 32 (40). Tac. hist. II, 30. ann. II, 43. — 'defensare'. Sall. Ig. 26, 1. 60, 3. 97, 5. Tac. Agr. 28. ann. II, 5. XII. 29. — missitare. Sall. Ig. 38, 1. — convectare. Tac. hist. III, 27. — subvectare. Tac. ann. XV, 43. — advectare. ann. VI, 13, quod verbum exstat iam apud Val. Flacc. 4, 106, non apud Tacitum primum, ut Draegerus vult (Synt. u. Stil. d. Tac. § 249). — mansitare. Tac. ann. XIII, 44. XIV, 42. — auctitare. Tac. ann. VI, 16. — appellitare. or. Claud. imp. col. I. 22. Tac. ann. IV, 65. Gell. 17, 20, 4. 18, 9, 11. Apul. apol. 10.

4) De verbis deponentibus, quae vocantur.

Genus verborum passivum cum profectum sit a medio, nomen deponentium id est notionem passivam quam male inventum sit manifestum est. Melius igitur ea appellabimus media. Quae media a principio non ponebantur nisi actionem verbi magis ad subiectum spectare significabatur, id est sensu reflexivo. Sine respectu subiecti forma verbi activa adhibebatur. Quae cum ita sint, apud veteres scriptores Latinos, qui reflexivi mediorum sensus intellegentiam nondum exuerant, passim activa eorum verborum invenimus, quorum postea

---

[1]) Sall. Ig. 20, 2. 75, 2. 88, 4. Tac. hist. III, 64. ann. II, 26. III, 47.

usurpari solebant tantummodo media. Sed cum paulatim mediorum significatio proxime accederet ad activa, verba discerni coepta sunt, ita ut alteris tantummodo activum genus tribueretur, alteris medium, quorum illa numero sunt multo minora, quam haec. Ciceronis temporibus haec verborum distinctio ferme est perfecta: activum frustro cessit medio frustror, activum ludifico medio ludificor, activum partio medio partior et alia multa. Quamquam etiam tum paucorum verborum usus erat incertus velut adsentio adsentior, fabrico fabricor, tamen in universum is qui activo eorum verborum utebatur, pro veterum ducebatur sectatore. Eorum igitur ex sermone Sallustius in usum suum convertit 'partio', cuius verbi activum Plauto Lucilio Accio in usu est quodque posteriore tempore Sallustio ut videtur auctore revocavit Tacitus: cfr. Sall. Ig. 43, 1. provincias inter se partiverant. Tac. ann. XII, 13 regnum inter se partivere. — Sed etiam media veteribus erant in usu, quae postea prorsus reiecta sunt. Sallustius ab iis sumpsit 'comperior' Ter. Andr. 902. Sall. Ig. 45, 1 'Sed in ea difficultate Metellum non minus, quam in rebus hostilibus magnum et sapientem virum fuisse comperior'. — (Ig. 108, 3) quod verbum ipsum quoque ab eo mutuatus est Tacitus ann. IV, 20 'hunc ego Lepidum temporibus illis gravem et sapientem virum fuisse comperior'. — Apud antiquarios saepius id reperies: Gell. 3, 3, 1. Apul. met. 2, 21. —

Sensu passivo media posita videntur esse satis crebro etiam Ciceronis temporibus, sed in dies magis a scriptoribus insequentibus reiecta sunt. Sallustius passive adhibet Cat. 7, 3 adepta libertate. Ig. 101, 9 adeptam victoriam hist. III. 78 (96) calvi ratus. hist. I. 31 (36). Igitur venditis proscriptorum bonis aut dilargitis. Ig. 84, 2 emeritis stipendiis. Ig. 25, 2 enisum est. Ig. 58, 3 frustrati. Ig. 17, 7. uti — interpretatum nobis est. Cat. 48, 7. hist. II. 23 (29). III. 34 (38) machinatus. Ig. 31, 8 ulcisci nequitur. Ex his participia 'interpretatus' 'emeritus' 'adeptus' praeter veteres ab optimis quoque scriptoribus sensu passivo usurpantur; 'machinatus' apud Sallustium primum videtur legi: 'enisus' est eius proprium. Apud Tacitum invenimus sensu passivo media haec: ann. I, 7. adepto principatu. Agr. 40 comitatus. ann. III, 46. nec cunctatum apud latera. Agr. 41. hist. IV, 76. ann. III. 17. 74. XIII, 37 expertus. hist. I, 8. II, 75. inexpertus ann. XI, 4. interpretatum (sc. esse) tradidere. hist. IV, 68. ann. III, 5. 12. IV, 57. 70 et passim meditatus. ann. III, 67 ausis codicillis. ann. I, 42 quid inausum intemeratumve vobis? Ex his 'cunctari' sensu passivo usurpavit Tacitus solus, quam ob rem Woelfflinius scribi vult l. l. 'nec diu certatum apud latera', cuius mutationis causa nulla est. Eius verbi activum exstat apud Plaut. Cas. 651 cunctas. Enn. tr. v. 148 com. v. 3. Att. tr. v. 72 cunctant. — Participium 'ausus' adhibet passive primus Vell. II, 80, 3 deinde Sil. 5, 442. 16, 534. Sed substantivum 'ausum' legimus iam apud Vergilium Aen. 2, 535. 6, 625. 9, 281. 12, 351. —

5) **Restat**, ut in comparationem vocemus usum participii 'volens'

locis his: Sall. hist. IV. 31 (56) volentia plebi facturus habebatur. Tac. hist. III, 52 Muciano volentia scripsere. ann. XV, 36 haec atque talia plebi volentia fuere. Participium 'volens' Naegelsbachius in libro, quem scripsit de stilo latino (§ 96, 1), locis laudatis 'medialiter' usurpatum esse statuit et cum aliis participiis, quae eodem modo essent adhibita, composuit velut 'ceteris in campo exercentibus' Cic. de or. II, 287, quam interpretationem probavit Draegerus [1]. — Kritzius ad hist. IV. 56 'volentia' accipi vult pro 'grata' vel 'laeta'; quam significationem profectam esse a locutione 'velle alicui' id est bene velle alicui; participium 'volens' eodem sensu ac 'propitius' usurpari solitum locis laudatis translatum esse ad res inanimas. — Utraque participii interpretatio non satisfacit, etsi Naegelsbachii sententia proxime ad verum accedit. Participium enim 'volens' numerandum est in iis participiis praesentis activi, quae usurpantur pro participiis praesentis passivi. — Hunc singularem participiorum praesentis activi usum fusius tractaverunt Haase l. l. I. p. 163 sq., — Naegelsbach. l. l., — Usener Jahrbb. 1878 p. 51 sqq. — Sed quae de hac re disputaverunt, cum non omnia probanda esse existimem, hanc quaestionem liceat mihi retractare secuto maxime Useneri commentationem. Quoniam enim Usenerus disseruit de participio praesentis passivi in -minos, cuius iacturam lingua latina nunquam resarsisset, pergit: „Die Volkssprache wusste sich zu helfen, indem sie sich des aktivischen Praesens-Particips bemächtigte und von demselben in passivischer Geltung sehr ausgedehnten Gebrauch machte. Der Schriftsprache musste diese Doppeldeutigkeit Anstoss geben. . Gleichwohl hat sie zu allen Zeiten einzelne Anwendungen des vulgären Ersatzmittels sich gestattet. Obwohl eine genügende Sammlung bei Neue [2]) die Thatsache ausser Zweifel stellt, sieht man sie doch bei neueren Gelehrten zuweilen nicht mit voller Schärfe aufgefasst oder durch Deutungskünste verdunkelt". Huc refert participia satis vulgaria 'luna minuens, anni volventes, annus vertens, res moventes, continens sc. terra, vocabula terminantia', deinde Sallustianum illud 'gignentia'. Ig. 70, 6. 93, 4. — adde Vitruv. VII. praef. 17. ita aucto vestibulo laxamentum initiantibus — adiecit. Plin. ep. IX, 26, 5 quia visus es mihi in scriptis meis adnotasse quaedam ut tumida, quae ego sublimia, ut improba quae ego audentia, ut nimia, quae ego plena arbitrabar. Tac. ann. III, 45 intolerantior servitus iterum victis. XI, 10 subiectis intolerantior. Min. Felix. 5, 9 nimbis collidentibus. — In monumento Pomponii Bassuli (Bücheler. antholog. lat. specim. I. p. 13. Henzen. 5605) 'cum sit paratus portus eia(culant)ibus'. Neque participia 'amantissimus' et 'desiderantissimus', quae in titulis passim pro 'amatissimus' et 'desideratissimus' invenimus, non commemorat. Hac in collectione participiorum Usenerus confudit usum partici-

[1]) Hist. Synt. I. p. 403.
[2]) II. p. 265 sqq.

piorum 'collidens-continens-minuens-movens-terminans-vertens-volvens' reflexivum, qui a recta loquendi consuetudine non recedit, cum usu passivo participiorum 'initians (Vitr.) intolerans (Tac.), eiaculans-amantissimus-desiderantissimus (inscript.)', qui usus participiorum passivus pro vitio sermonis vulgaris habendus est. 'Volvens' sive adiungis medio 'volvi', ut Neue, sive activo ,volvere' reflexive adhibito, quod non minus rectum est utique habet sensum reflexivum, item 'minuens-vertens' etc. — Reflexivus sensus an etiam participio 'gignentia' subiciendus sit, dubito. Sed ceteris participiis 'initians-intolerans-eiaculans-amans-desiderans' tantummodo sensus inesse potest passivus; horum igitur usus ab illis distinguendus discernundusque est. Accedit quod, ut iam supra attigi, etiam activa 'continere[1]) -minuere-vertere-volvere' ipsa quoque habent vim reflexivam, quae vis unde orta sit, utrum acceperint eam tum, cum mediorum formae transierunt in sensum passivum, an traxerint ex usu absoluto, hoc loco non quaerendum est. 'Movens' autem et 'collidens' ad analogiam mediorum, quae participia praesentis activi sibi vindicaverunt, ita adhibita esse putanda sunt, quoniam activa 'movere' et 'collidere' nusquam videntur reflexive esse usurpata. —

Is igitur usus participiorum reflexivus ne scriptoribus quidem rarus est; praeter ea, quae Usenerus attulit, huc pertinent: Cic. de or. II, 278 (vid. supr.) 'ceteris in campo exercentibus'. Plaut. Asin. 403 quassanti capite. Bacch. 305. Caec. com. 271 quassantia capita. Verg. Georg. I, 74 siliqua quassante. cfr. Serv. ad Aen. I. 234. 'Alii — quia deficit lingua latina participio praesenti passivo praesens activum positum volunt — ut volventia plaustra et siliqua quassante, quae quassatur'. — adde schol. Lucan. p. 175, 23 quassantia limina — ut volventia plaustra. — Plaut. capt. 814 crucianti canterio. Front. ad amic. I, 15 p. 184, 16 N. membris cruciantibus. — id. de bell. Parthic. p. 220, 6 N. Polycrates captus in crucem sublatus est, ita ei crucianti somnium expeditum. — Plin. n. h. 35, 3 spatia montis in cubiculo dilatantia. Accedunt participia evidens animans comans corniculans stellans. —

Usum participiorum praesentis activi passivum, qui sermonis proprius est vulgaris, apud scriptores perraro invenimus. Ac primum refutandum est exemplum, quod Usenerus attulit ex Plinio minore, ubi participium, 'audentia' passive videtur esse usurpatum. Revera habere id sensum activum ex locis his, quos simpliciter iuxta posui, apparet: Quint. XII, 10 nonne his latior et audentior et excelsior (Aeschines)? Tac. dial. c. 14. Materni pro carminibus suis laeta — et audentior et poetarum quam oratorum similior oratio. Plin. ep. IX, 26, 5 quia visus es mihi in scriptis meis adnotasse quaedam ut tumida, quae ego sublimia, ut improba, quae ego audentia — arbitrabar. — Sed iis, quae Usenerus recte attulit, addo: Lucil.

[1]) Plaut. Stich. v. 452 per hortum utroque commeatus continet.

III. v. 59 ob facta nefantia, XXIX. v. 65 nefantia. Varr. sat. Men. v. 509 R. — Att. tr. v. 189 priusquam infans facinus oculi vescuntur tui. — Participium 'volens' apud Sallustium et Tacitum prope abest a participiis 'amans' et 'desiderans'. — Apud Lucanum legimus 'vexantia ora' cfr. schol. p. 148 vexantia ora — quae vexantur, quoniam passivo deficiunt praesentis temporis participia. — Participii 'intolerans' usum passivum Gellius (19, 7, 10) affert ex Laevio, quem dixisse tradit 'curis intolerantibus'. Deinde invenitur apud Tacit. III. 45 memorare quam decora victoribus libertas, quanto intolerantior servitus iterum victis. XI. 10 regreditur ingens gloria atque eo ferocior et subiectis intolerantior. Draegerus ad ann. III, 45 adnotat: 'intolerantior' scheinbar im passiven Sinne wie 11, 10. — Flor. 4, 12 nihil insultatione barbarorum intolerantius. Ueberall selten, doch schon bei Cic. in Vatin. 12 de tuis divitiis intolerantissime gloriaris. Im Grunde ist der Sinn aktiv: „masslos". Qua Draegeri in adnotatione multum inest falsi; nam nec loco, quem ex Floro affert, neque apud Tacitum alia vis participii ferri potest nisi passiva; apud Ciceronem est activa, ut iam Nipperdeius recte explicavit. Quod si in ann. XI, 10 intellegeremus notionem participii 'intolerans' activam, is locus nobis esset interpretandus hunc in modum: „Er kehrt zurück ungeheuer an Ruhm und darum desto unbändiger und gegen die Unterworfenen unduldsamer" (vel simile quid), quod quidem omnino non requiritur; ac si 'intolerans' idem est ac 'intolerabilis', sensus est passivus. — Haec sunt, quae habui afferre ex scriptoribus; iam vero ex sermone vulgari participiis 'eiaculans' 'amans' (C. I. L. I. Nr. 1080. 1207. II. Nr. 1504. X. Nr. 3300, 3704. 7612) 'desiderans' (C. I. L. II. 541 al. Front. p. 17, 2. 0, 8. 88, 11. 132, 21 N.) quae iam Usenerus commemoravit, adiungi possunt haec: 'reverens' Flor. 4, 12, 66 Sed sanctius et reverentius visum est nomen Augusti. — C. I. L. X. 1287. 3354. 3355 (reverentissimus) — et ‚indulgentissimus' hoc certe in titulo C. I. L. III. Nr. 2684. D. M. Aur. Firminus et Flavia Prima parentes infelicissimi filiabus suis Stercoriae Iovino Lucio indulgentissimis. —

II. De verborum significatione.

A. De adiectivis.

1) Ac primum Sallustius et Tacitus adiectivis aliquot, quae non solent usurpari nisi sensu activo, subiciunt eodem modo sensum passivum; sunt autem praecipue haec: gnarus, ignarus, nescius, incautus, innoxius. Neque desunt quae quamquam vulgo habent sensum reflexivum vel passivum, ab iis adhibeantur active velut formidulosus, tutus, intutus. Sallustii Tacitique dicendi generis in proprietates quamquam inquirimus, adiectivorum hunc usum incertum ad

explanandum altiore ab initio proficiscendum est[1]). Utrum enim significatio adiectivorum et denominativorum et verbalium sit passiva an activa, non a formatione eorum causa repetenda est. Exempli gratia adiectiva in -bilis desinentia, quamquam plerumque passive adhibita sunt, quominus etiam sensum activum habere possint, terminatio eorum non impedit. Sed de iis infra accuratius disputabimus.

1) Ex adiectivis **denominativis** eligo ea, quae exeunt in-osus, quam terminationem consuevimus dicere significare copiam. (cfr. Gell. 9, 12). — Haec adiectiva cum derivata sint a substantivis, eorum diversas quoque significationes traxerunt; ut gloria est claritas et iactatio, ita gloriosus clarus est et sese iactans; ut gratia significat officium, quod confers in aliquem (alicui gratiam facere, dare) et favorem, in quem cum aliquo venisti, (in gratia alicuius esse), ita gratiosus esse potest et benignus vel comis vel officiosus et acceptus alicui, quam ob rem in lexicis solet notari notio activa et passiva. Similiter res se habet de substantivo 'suspicio', quod habet sensum activum cum alias tum apud Plant trin. 784. 'Hoc, ubi thensaurum effoderis, Suspicionem ab adulescente amoveris' — et sensum passivum in locutione ,in suspicione esse alicuius rei' et alias, unde fit, ut suspiciosus sit is, qui habet suspicionem aliquam et qui est in suspicione alicuius rei: Cfr. Cat. de re Flor. or. LVII. fr. 1 Jord. 'Sed nisi qui palam corpore pecuniam quaereret aut se lenoni locavisset et si famosus et suspiciosus fuisset, vim in corpus liberum non aequum censuere adferri'. — Neque aliter multorum adiectivorum denominativorum significationis variae causa repetenda est a substantivis[2]). Sed accedit quod in lingua latina adiectiva pro re effecta saepe causae rei tribuuntur. Qua dicendi proprietate ut insolentissime poetas uti notum est, ita hinc non abhorret, si adiectivum 'formidolosus' ab eo, qui timet, transfertur ad eum, qui timoris causa est vel eum efficit. cfr. Cic. Tusc. 4, 53. res formidolosae.

---

[1]) Haase. I. p. 169.

[2]) Hoc loco error satis inveteratus, quem inveni apud Draegerum ad ann. VI, 7 quique in lexica translatus est, refellendus videtur esse. Draegerus enim in ann. VI, 7 'neque emptio agrorum exercita ad formam senatus consulti, acribus ut ferme talia initiis, incurioso fine' adiectivum incuriosus interpretatur „Vernachlässigt“ conlato Sall. hist. fr. IV. 65 (66) 'infrequentem stationem nostram incuriosamque tum ab armis' et Suet. Galb. 3 avus clarior studiis quam dignitate multiplicem nec incuriosam historiam edidit. — Neque Georges adiectivi 'incuriosus' notionem his locis esse passivam non censet, cuius rei causam non video. Nam ut Tacitus initia emptionis agrorum acria appellat, quia homines acriter ea exercebant, ita finem eius incuriosum, quia homines eum exercebant incuriose. 'Incuriosus' igitur hoc loco audacter ab hominibus ad tempora translatum est. Ne apud Sallustium quidem sensum adiectivi passivum agnoscimus, quoniam verba 'ab armis' ex 'incuriosus' apta esse non possunt, id quod Arusianus vult. Aut non plenum quippe non intellectum ab Arusiano laudari locum statuemus, aut Dietschium sequemur, qui verba 'ab armis' interpretatur 'modo repositis armis'. — Apud Suetonium 'incuriosus' translatum est ab hominibus in historiam, prorsus ut nos dicimus „eine nachlässige Arbeit“. —

Sall. Cat. 7, 2 Nam regibus boni quam mali suspectiores sunt semperque eis aliena virtus formidulosa est. Tac. Agr. c. 39 Id sibi maxime formidolosum privati hominis nomen supra principis attolli. adde Plaut. Amph. 393. meticulosus = timidus — Most. 1101. = terribilis. Latissime patet is usus apud poetas: Lucil. V, 22. talae lacrimosae. Hor. sat. I, 5, 80. lacrimoso non sine fumo — ep. I, 1, 67. lacrimosa poemata. Laber. com. 86. mustum somniculosum. Cinna. fr. 2. M. aspis somniculosa. Hor. carm. II, 7, 21. obliviosum Massicum Mart. V, 56, 8. ars pecuniosa.

2) Ex adiectivis **verbalibus** primo loco dicemus de iis, quae a principio sunt participia perfecti aut medii aut passivi, — quorum illa habent sensum reflexivum plerumque plene expressum velut cautus, incautus peritus imperitus consideratus inconsideratus moderatus immoderatus circumspectus consultus certus incertus et al., his adnumeramus notus ignotus tutus intutus falsus et al. — Sed et illa accipiunt interdum sensum passivum et haec reflexivum.

a) Adiectivum 'ignotus' saepius reflexive usurpatum esse pervulgatum est: Naev. tr. fr. v. 36. ignotae iteris sumus. Cornif. III, 6, 12. VI, 50, 63. Cic. Verr. 5, 23, 75. 64, 166. ad fam. 5, 12, 7. Nep. Ag. 8, 1. Phaedr. I, 11, 2. Curt. 5, 12, 20. Tac. Agr. 43. ann. II, 71. III, 1. —

b) Minus cognitum est etiam adiectivum 'notus' reflexive adhibitum esse: Plaut. Pseud. v. 979. novi: notis praedicas. — bell. hisp. 33. notus provinciae. —

c) Adiectivo 'tutus' significationem reflexivam vel activam vindicat Draegerus ad Agr. 30, 6 locis his: Sall. Cat. 58, 9. si vincimus, omnia nobis tuta erunt. — Ig. 74, 3. nam ferme Numidis in omnibus proeliis magis pedes quam arma tuta sunt. — (Iac. Wirz. Numidas — tutata sunt.). Tac. Agr. 30 ita proelium atque arma, quae fortibus honesta, eadem etiam ignavis tutissima sunt.

In participiis, quae vulgo reflexive adhibentur, numeravi etiam 'certus' et 'incertus' quamquam non minus saepe passive usurpantur. Praeterea afferri potest hoc loco usus passivus adiectivi ,incautus': Sall. hist. fr. inc. 46 (12) incautos agros invasit. Tac. ann. I, 50 iter hostibus incautum. — adde hist. III, 23. — Amm. 26, 11, 4 invasere Lugdunum incautam. — Huc revocaverim etiam adiectivorum ,gnarus' 'ignarus' 'nescius' 'inscius' usum passivum, etsi non sunt participia. Cum enim adiectiva 'notus' 'ignotus' 'certus' 'incertus' in notione non sibi constarent, etiam similis generis adiectiva significationis inconstantiam invasisse puto. Accedit, quod ut cetera adiectiva verbalia, ita etiam ea, quae desinunt in -us habent notionem et activam et passivam, velut rigui amnes (Verg. Georg. 2, 485) et riguus hortus (Ov.) — irriguus fons (Verg.) et irriguus hortus (Cat. Hor.) — circumfluum mare (Plin.) et circumflua insula (Ov.).

a) 'gnarus' passive legitur non ante Tacitum, (hist. III, 79. V, 17. ann. I, 5. III, 6. VI, 35. 46. XI, 32. XII, 45. XV, 61.), quem sequitur Apul. apol. 12. —

b) 'ignarus' passive habent Sall. Ig. 18, 6. 52, 4. hist. fr. inc.

94. (63). Verg. X, 706. Ov. Met. VII, 404. Tac. hist. III, 8. ann. II, 13. III, 69. IV, 8. VI, 22. XII, 11. 45. XV, 62.

c) 'nescius' sensu passivo exstat apud Plaut. Rud. 275. quae in locis nesciis nescia spe sumus. (cfr. Gell. IX, 12.). Capt. 265. si quid nescibo, nescium tradam tibi. Tac. ann. I, 59. Aliis gentibus — nescia tributa. — ann. XVI, 14, neque nescium habebat.

d) 'inscius' apud Apul. met. 5, 26 inscius trames'. —

Neque adiectivis in -ulus et -bilis terminatis sensus et activus et passivus inesse non potest. Sed cum adiectiva in -ulus desinentia significent studium alicuius rei, fieri non potest, quin sensus eorum plerumque sit activus velut credulus garrulus gerulus querulus bibulus, Sed adiectivum 'bibulus' adhibet passive Hor. ep. I, 18, 91 bibulum Falernum — et adiectivum 'credulus' Tac. hist. I. 34 credula fama.

Adiectiva in -bilis perraro et plerumque apud posterioris demum aetatis scriptores active inveniri non recte censuit Haasius[1]); nam ut apud optimos scriptores multo usitatior est sensus eorum passivus, ita et apud veteres et apud posterioris aetatis scriptores satis saepe active usurpata sunt, id quod ex comparatione eorum usus apparebit: Plaut. Pers. 712 lucrificabilis dies. mil. 1144. adiutabilem operam dare. (adde Pers. 673.). Epid. 19. voluptabilem nuntium. Most. 1162 impetrabilis orator. (adde Merc. 605. Epid. 342), quod adiectivum passive usurpatur a Livio 25, 29, 8. — Cist. II, 2, 3 anus immemorabilis. mil. 544. Nunc demum scio me fuisse excordem caecum incogitabilem. — Ter. Phorm. 226 vincibilis causa. — ad. 608. placabilius est. (adde Phorm. 961.). Lucil. I, 1. aetheris et terrae genitabile quaerere tempus. Lucr. 1, 11. genitabilis aura Favoni. Acc. tr. v. 421. letum tabificabile. v. 551. flebiles voces. adde Cic. Tusc. 2, 57 gemitus flebilis. Hor. carm. II, 2, 9. flebiles modi. Ov. Trist. V, 1, 5 flebile carmen. Tac. hist. III, 25 voce flebili. ann. I, 41. flebilis sonus. III, 23. lamentatione flebili. — Afran. com. v. 255. intolerabilis. — Lucr. 6, 805. odor mactabilis. — Huc pertinet etiam adiectivum 'intestabilis', cuius sensu proprio significatur is, qui ius testamenti amisit (quo sensu exstat in duodecim tabulis apud Gell. VII, 7, 3), quod tamen translate eodem sensu ponitur ac 'detestabilis': Plaut. curc. 30 (cfr. mil. 1414). Sall. Ig. 67, 3 improbus intestabilisque videtur. hist. I. 41 (45), 1 peior atque intestabilior metu vostro. Hor. sat. II, 3, 10. Liv. 37, 57. Plin. 28, 24. Tac. hist. IV, 42 intestabilior et saevior. ann. VI, 40. 51. Aur. Vict. Caes. 6, 2. — Omnium in usu sunt 'insatiabilis' 'terribilis' 'miserabilis' 'praestabilis' sensu activo. Praeterea apud Ciceronem legimus in Tusc. 2, 32 voce lamentabili. de legg. 2, 64 funera lamentabilia. adde Liv. 3, 47, 6 comploratio lamentabilis. Tusc. 2, 57. gemitus elamentabilis. — de nat. deor. 2, 91 haec animabilis spirabilisque natura, cui nomen est aer. — Varr. d. r. r. 2, 11, 2 alibile lac. §. 3. casei. 3, 9, 14 pulli. —

[1]) I. p. 170.

Verg. Aen. 10, 481. penetrabile telum. Hor. carm. I, 3, 22 Oceanus dissociabilis. Ov. a. a. III, 675 spectet amabilius iuvenem suspiret ab imo femina. Liv. 31, 17, 9 praeeuntibus exsecrabile carmen sacerdotibus. 27, 23, 6 morbi perniciabiles. adde Curt. 7, 3, 13 nix plurimorum oculis perniciabilis fuit. Tac. ann. IV, 34 id perniciabile reo. Tac. ann. XII, 67 delectabili boleto. — Apul. herb. 59. densabilis. Arnob. 7, 28 commeabiles aurae. Lact. 5, 23, 5 irritabilis. Amm. 14, 11, 11 sermo adulabilis. 31, 12, 7 sententia adulabilis. — Prud. apoth. 694 dubitabilis. apertibilis digestibilis percussibilis praefocabilis apud Cael. Aur. et alia.

2) Quoniam diximus adiectivorum nonnullorum de significatione activa et passiva, sequitur ut in comparationem vocemus adiectiva aliquot, quibus Sallustius et Tacitus eodem modo sensum subiciunt singularem.

Ad studia Graecorum referemus usum adiectivi 'multus' locis his; Sall. Ig. 96, 2. in operibus, in agmine atque ad vigilias multus adesse. Tac. Agr. 20. multus in agmine. cfr. Polyb. 5, 49, 7 *πολύς ἦν πρὸς ταῖς παρασκευαῖς*. His locis 'multus' pro adiectivo 'frequens', quod Latini ita adhibere solent[1]), videtur usurpatum esse. Sed ut apud Graecos *πολύς* interdum eandem fere notionem habet ac *μέγας* (cfr. Herod. 7, 14 *ὡς καὶ μέγας καὶ πολλὸς ἐγένετο ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ*), eodem modo Sallustius dicit in Ig. 84, 1 multus atque ferox instare (*πολὺς ἐνέκειτο.*). —

Deinde confero Sall. Ig. 73, 1 Metellus rursus tamquam ad integrum bellum cuncta parat festinatque. Tac. hist. II, 57 Vitellius ut ad integrum bellum vires trahebat. ann. XV, 18 'integro adhuc bello', ubi ad exemplum locutionum forensium 'causa vel res integra' integrum bellum appellant bellum nondum confectum. Similiter Tac. ann. VI, 40 cum tempus tamquam ad integram consultationem petivisset. — Sed in ann. II, 46 'neque paenitere, quod ipsorum in manu sit, integrum adversus Romanos bellum an pacem incruentam malint' integrum bellum vix aliud esse potest quam bellum de integro sumendum. Nipperdeius hoc loco bellum integrum interpretatur „ein Krieg, dessen Entscheidung durch Nichts compromittiert ist"; vereor ne non satis dilucide. Ceterum conferantur Curt. 9, 4, 15 sq. Inde ventum est in regiones Oxydracarum Mallorumque, quos alias bellare inter se solitos tunc periculi societas coniunxerat. — At Macedones, qui omni discrimine iam defunctos se esse crediderant, postquam integrum bellum cum ferocissimis Indiae gentibus superesse cognoverunt, — regem increpare coeperunt. Liv. 32, 17 Ceterum postquam parte muri arietibus decussa per ipsas ruinas transcenderunt in urbem armati, illud principium velut novi et integri laboris'. —

Servius ad Verg. Georg. I. 43 tradit, Sallustium solitum esse

---

1) Cic. pr. Rosc. Am. 18. cum iste frequens Romae esset. Tac. ann. XIII, 35. ipse in agmine in laboribus frequens adesse. —

usurpare 'ver (vel hiems vel autumnus vel aestas) novum-adultum-praeceps; qua in re haud scio an Graecos secutus sit, qui dicunt μὴν ἱστάμενος, μεσοῦν, φϑίνων. — Similiter Tacitus ann. II, 23 aestate adulta. XI, 31 adulto autumno. XIII, 36 donec ver adolesceret. hist. III, 23 nocte adulta — et Aurelius Victor, qui universi Sallustii sermonis cultor atque amator est, Caes. 32, 3 adulta. aestate.

Praeterea conferantur: Sall. Cat. 29, 1 ancipiti malo[1]) permotus. Ig. 67, 2. — Curt. 4, 15, 9. 5, 3, 11. 4, 31. 8, 14, 7. Tac. Agr. 26 ancipiti malo territi.

Sall. Ig. 114, 2 alia omnia virtuti suae prona. Tac. Agr. 33. hist. III, 64. omnia prona victoribus. —

Sall. hist. I. 10 (11) Postquam simultates exercere vacuum fuit. Tac. hist. II, 38 ubi securas opes concupiscere vacuum fuit. —

Sall. Ig. 11, 3 materno genere impar. Ig. 108, 1. Tac. hist. II, 50 maternum genus impar. —

Sall. Ig. 95, 3 otium luxuriosum. Tac. hist. III, 83. id. —

Sall. Ig. 65, 1 imminuta mens. Tac. ann. VI, 46 id. adde hist. II, 93 animum imminuere pro mentem debilitare. —

B. De substantivis.

Verbo 'consultor', quo vulgo significatur is, qui consilium petit, versu populari, quem commemorant Varr. r. r. 3, 2, 1 et Gell. 4, 5 'malum consilium consultori pessimumst'[2]), dicitur is, qui consilium dat. Hunc versum Latini videntur a Graecis sumpsisse (cfr. Hesiod. E. 264 ἡ δὲ κακὴ βουλὴ τῷ βουλεύσαντι κακίστη.) neque eius Sallustium meminisse non existimo, cum scriberet hist. I. 48 (51), 1 Maxime vellem prava incepta consultoribus noxae esse et hist. fr. inc. 89 (57). 'talia incepta, ni in consultorem vortissent, rei publicae pestem factura', — quibus a locis non procul abest Tac. ann. VI, 10 Quo laetius acceptum sua exempla in consultores recidisse. — Praeterea confer Sall. Ig. 85, 47 egomet in agmine aut in proelio consultor adero. Tac. ann. IV, 24 ipse consultor aderat omnibus. Neque aliis locis Sallustius verbo 'consultor' hanc vim non subicit. Ig. 64, 5. 103, 7. hist. III. 61 (82), 15. Uno loco Cicero eodem sensu ponit 'consultrix' — de nat. deor 2, 58 natura consultrix et provida utilitatum. —

Substantivum, 'egestas', quod vulgo non usurpatur nisi absolute, Sallustius et Tacitus saepius cum genetivo obiectivo, qui vocatur, coniungunt ita ut in notionem verbi 'inopia alicuius rei' abeat; qui verbi usus reperitur primum apud Lucretium 5, 1211 egestas rationis — deinde apud Sall. Cat. 58, 6 frumenti atque aliarum rerum. Ig. 44, 4 pabuli. Tac. hist. III, 8 frumenti. IV, 35 copiarum. ann.

---

1) Wiedemann. Philol. XXXI. p. 757 sqq.
2) Ribb. scaen. poës. fr. II. app. sent. v. 179. —

I, 68 ciborum. IV, 49 pabuli. VI, 23 cibi. XII, 43 frugum. Suet. Vit. 7 rei familiaris. Apul. apol. 20 appetendi. —

Substantivum 'casus' eodem modo pro substantivo 'occasio' usitato adhibent in locutionibus his: Sull. Ig. 25, 9 sperans sese casum victoriae inventurum. Ig. 56, 4 praeclari facinoris casum dare. — Tac. ann. I, 13 si casus daretur. ann. IV, 50 casum aperire. XI, 9 casus Mithridati datus est occupandi Armeniam. XII, 28 casum praebere. c. 50 casus obvenit. XIII, 36 offertur. —

Paullo copiosius dicendum est de substantivi 'facies' significatione, de qua disputavit Draegerus ad ann. I, 49: „facies gebraucht Tacitus oft, um das Aeussere einer Sache zu bezeichnen, wie facies belli, pugnae, victoriae, laborum, locorum. So nur Vergil und die Prosaiker des silbernen Zeitalters.“ Sed hunc usum verbi insolentiorem Draegerus, id quod saepe solet, finibus coercet nimis angustis. Ac primum 'facies' usu satis vulgari transfertur ab animalibus ad res inanimas ita ut earum et figuram formamque et totam speciem exteriorem significet; velut Sall. hist. II. 2 (2). Sardinia facie vestigii humani. Verg. georg. 4, 360 curvata in faciem montis unda. Curt. 6, 4, 22 arbor faciem quercus habet; usu latiore dicit Cicero de off. 1, 5, 14 formam quidem ipsam et tamquam faciem honesti vides —, quamquam hoc loco verbum 'facies' quasi excusat, quia videlicet honestum oculis non cernitur. Sall. Cat. 31, 1 urbis facies. Cat. 55, 4 facies loci. — Ig. 78, 3 ita facies locorum cum ventis simul mutatur. Ov. Trist. 1, 3, 26 facies Troiae. Curt. 8, 13, 10 facies ripae. Tac. ann. IV, 67 antequam Vesuvius mons faciem loci verteret. XIV, 10 quia tamen non ut hominum vultus, ita locorum facies mutantur. hist. V, 13 in faciem stagni. Neque hinc abhorrere videtur, si dicitur pugnae, victoriae, belli, pacis facies: cfr. Tibull. 4, 1, 100 faciem componere pugnae. Sall. Ig. 51, 1. Ceterum facies totius negotii varia incerta foeda atque miserabilis; dispersi a suis pars cedere alii insequi. — Tac. hist. II, 42. Et per locos arboribus ac vineis impeditos non una pugnae facies: comminus eminus, catervis et cuneis concurrebant — adde Agr. 36. 38. ann. I, 49. — Sall. Ig. 46, 5 contra faciem belli; neque aliter Tac. hist. I, 85 strepitus telorum et facies belli. ann. XIII, 38 'dum positis loricis et galeis in faciem pacis veniretur', quae verba Draegerus perperam interpretatur „Zum Zeichen einer friedlichen Absicht“; quasi 'in' finale sit. Nihil enim aliud esse possunt nisi „wenn man nur käme nach Ablegung von Panzer und Helm, so dass es ein friedliches Aussehen hätte.“

Deinde 'facies' satis saepe inde a Sallustio, ut videtur, absolute ponitur in modum sensumque substantivi 'aspectus': Sall. Ig. 49, 5 insolita facies. Curt. 7, 11, 16 miserabilis facies. 9, 8, 7 nova facies et al.

Insolentius poëtae, 'facies' usurpant pro 'genus' velut Verg. Aen. VI, 104 'Non ulla laborum, o virgo, nova mi facies inopinave sur-

git' —, quae verba Tacitus videtur memoria tenuisse, cum scriberet hist. III, 30 ac rursus nova laborum facies. Verg. Aen. VI, 560 Quae scelerum facies. Sil. 4, 593 mille leti facies.

Denique 'facie alicuius rei' legimus pro 'specie alicuius rei' apud Quintil. 8, 5 facie ingenii — et Tac. hist. II, 54 publici consilii facie. —

Substantivum 'ingenium', quod solet tribui tantum hominibus, saepius transferunt ad res inanimas: Sall. hist. II, 41 (50), 9 ingenio corporis. III, 18 (17) ingenio loci. Tac. hist. I, 51 ingenio loci caelique. II, 4 ob ingenium montis ann. VI, 41 locorum ingenio. adde hist. II, 71. ann. XII, 30. XVI, 20. Similia quamvis raro apud alios quoque scriptores reperies: Verg. Georg 2, 177 arvorum ingenia. Ov. Trist. 5, 10, 18 loci. Liv. 28, 12 locorum hominumque ingenia. 37, 54 ingenium terrae. Plin. 17, 2, 19 loci. Praetera confer Naev. tr. v. 28 ingenio arbusta ubi nata sunt non obsita. Sall. hist. I, 61 (61) duas insulas — constabat suopte ingenio alimenta mortalibus gignere. Tac. hist. V, 14 latitudo camporum suopte ingenio humentium.

Restat, ut in comparationem vocemus usum locutionis ,altitudo animi vel ingenii' apud Sall. Ig. 95, 3 et Tacit. hist. IV, 36. ann. III, 44. Cicero eodem sensu ponit verbum graecum βαθύτης ad Att. 4, 6, 3. 5, 10, 3. Neque ubi usurpat 'altitudo animi' (de off. I. 88 altitudo animi, quae dicitur), eam locutionem non excusat.

C. De verbis.

Ac primum mihi videtur esse id memorabile, quod usus verborum 'agere' et 'agitare' absolutus pro 'esse' 'versari' 'sese gerere' 'vivere' nusquam latius patet quam apud Sallustium et Tacitum. Quae verborum significatio quamquam aliis quoque scriptoribus non improbata est, tamen crebro in usu locutionumque singularum in similitudine cernitur, quanto opere Sallustii elocutio Tacito fuerit accepta. Coniungunt haec verba **a)** cum adverbiis. Sall. Cat. 23, 3 ferocius agitare. Ig. 19, 5 Gaetulos partim in tuguriis alias incultius vagos agitare. Ig. 89, 7 Africa, quae procul mari incultius agebat. hist. III. 61 (82), 3 tutius. Tac. hist. I, 9 innocentius. II, 15 socordius. III, 2 ferocius. 35 ambigue. 77 superbe saeveque. ann. IV, 46. Thraecum, qui montium editis incultu atque eo ferocius agitabant.

b) cum ablat. Sall. hist. I. 9 (10) optumis moribus et maxuma concordia egit populus Romanus. hist. I. 23 (27) quantis familiaribus copiis agerent. Tac. hist. I, 48 variis moribus egit. II, 58. Lucceius Albinus haud spernendis viribus agebat. ann. II, 64 subdola concordia agere. VI, 27 corruptis moribus, inlustri tamen familia. adde hist II, 77. III, 49. ann. II, 55. IV, 4. VI, 32. XII, 54.

c) cum adiectivis praedicative additis. Sall. Ig. 55, 2 civitas laeta agere. 55, 7 divorsi agebant. 74, 1 varius incertusque agitabat. hist. I. 41 (45), 2 liberi agere. hist. I. 63 (63) iustos et egregios agere. hist. II. 41 (50), 5 integer agas § 4 privatus egi.

Tac. hist. II, 68 intentus agit. III, 44 bello clarus egerat. ann. I, 4 exul. c. 50 laeti neque procul Germani agitabant. c. 68 haud minus inquies Germanus agebat. III, 38 discors. IV, 58 ceterorum nescii agere. VI, 42 concordes. XI, 21 secretus. XIII, 24 incorruptior. XIV, 15 clari honoratique. XV, 23 immodicus. c. 37 corruptior.

Postremo conferri potest locutio 'in ore alicuius agere' pro 'in conspectu alicuius versari': Sall. hist. I. 90 (92) ut in ore gentibus agens. II. 41 (50), 4 in ore vostro egi. Tac. hist. III, 36 in ore vulgi agere. Sed Cic. pr. Rosc. Amer. 6 in ore omnium versari. —

Antiquitatem videtur redolere usus verbi 'attinere' pro 'retinere' 'continere', quod exstat apud Plautum saepius (cfr. Brix ad mil v. 1327), apud Terentium (Cic. or. 157), apud Sall. Ig. 108, 3. hist. I. 48 (51), 16. — Tac. hist. I, 14. ann. I, 35. 50. II, 10. 52. III, 3. 36. 71. IV, 5. VI, 17. 19. 23. 27. XII, 12. 68. XIII, 27. 37. 46. 50. 53. XIV, 25. 33. 56. XV, 24. 57. XVI, 19 et apud antiquarios Front. p. 253, 6 N. Aur. Vict. Caes. 8, 1. —

Neque huc non spectant locutiones aliquot singulares: 'bellum duplicare' pro 'renovare' Sall. hist. I. 26 (34). Tac. hist. IV, 54. Aurel. Vict. Caes. 33, 2 — 'bellum inritare'. Sall. hist. I. 16 (18). Tac. hist. II, 24 inritato proelio. Sall. hist. II. 30 (36) advorsa in pravitatem, secunda in casum, fortunam in temeritatem declinando[1]. Tac. ann. XV, 26 adversa in inscitiam Paeti declinans.

III. De syntaxi.

A. De neutris adiectivorum substantivorum more cum genetivo coniunctis.

Neutra adiectivorum nonnisi absolute posita substantivorum vice a principio solere fungi pervulgatum est velut beatum bonum honestum iustum utile al. Neque adiectiva iis addi solent, ne error videlicet de adiectivo vere pro substantivo posito oriatur, nec genetivi. Tantummodo sensu partitivo genetivus ad neutra adiectivorum accessit neque alia ad adiectiva nisi ad numeralia atque pronomina — multum plus plurimum paullulum pauxillum dimidium id hoc idem illud istuc quod quid. Paullo longius iam Cicero progreditur, cum sensu partitivo genetivum adnectat etiam comparativis et superlativis. cfr. ad Att. 4, 33 in interiora aedium. Lael. 4, 12 cuius dis-

---

[1]) cfr. Tac. ann. XIV, 38 adversa pravitati ipsius, prospera ad fortunam referebat. —

putationis fuit extremum. de div. 4, 43, 91 caelum quod extremum atque ultimum mundi est. ad fam. 10, 19, 2 belli extrema. Tim. 6 extrema mundi. ad fam. 1, 9, 16 summa pectoris. 2, 16, 69 cuiusque artis difficillima. Quin apud Caesarem legimus in bell. civ. 3, 105 in occultis atque reconditis templi. Hunc usum genetivi sensu partitivo neutris adiectivorum additi amplificavit Sallustius, excoluit Livius, effuse adhibuit Tacitus.[1])

1) Rarius cum genetivo coniungunt singularis numeri neutra adiectivorum: Sall. hist. II. 27 (102) diei medio. Ig. 51, 2 multum diei. Tac. hist. I, 62. III, 11. ann. XII, 69. XIV, 2 medio diei. hist. II, 53. ann. XIII, 28. XIV, 53 medio temporis. — Liv. 4, 18, 3. 6, 23, 2 in medium campi. 5, 41, 2 medio aedium. Tac. ann. I, 61 medio campi. c. 64 medio montium et paludum. ann. XV, 18 medio Capitolini montis. — Liv. 27, 2, 9 in multum diei. Tac. hist. III, 79 multo iam noctis. Liv. 26, 3, 1 serum diei. adde 7, 8, 5. 33, 48, 6 in serum noctis. Tac. ann. II, 21 sero diei. Liv. 2, 25, 1 reliquum noctis. 3, 62, 5 diei. Tac. XIV, 10 reliquo noctis. hist. V, 6 certo anni.

Sall. Ig. 21, 2 diei extremum. Ig. 90, 1 aestatis extremum. Liv. 3, 24, 9 extremum anni. Tac. hist. V, 18 extremo paludis. ann. VI, 27 anni. hist. III, 83 minimo temporis. IV, 67 celeberrimo fori.

Sall. Ig. 37, 4 in praerupti montis extremo.[2]) Ig. 93, 2 ad summum montis. Tac. hist. III, 47 in extremo Ponticae orae. ann. I, 53 in prominenti litoris. IV, 74 in proximo Campaniae. —

2) Pluralis numeri neutris genetivos passim adnectunt: Sall. Cat. 6, 3 pleraque mortalium. Ig. 78, 4 legum cultusque pleraque. hist. III. 6 (7) reliqua cadaverum. Tac. hist. II, 98 pleraque consiliorum. IV, 23 telorum. V, 4 caelestium. hist. IV, c. 2. c. 51. — ann. XV, c. 30 c. 36 reliqua belli, (adde Liv. 26, 1, 6). ann. XII, 56 reliqua lacus. — Adiectivorum numeralium ad exemplum Tacitus etiam 'cuncta' cum genetivo coniungit, quamquam partitio non fit: hist. V, 10 cuncta camporum. ann. III, 35 cuncta curarum. XIV, 60

---

[1]) Draeger. I. p. 417.

[2]) Draegerus in commentatione, quae est de syntaxi et stilo Taciti (§ 66 b) dicit: „Durchaus nachklassisch ist der Gebrauch einer Präposition vor dem neutralen Adjektiv im Singular. — Dies findet sich zuerst bei Livius 21, 33 in immensum altitudinis, dann Curt. 8, 14, 28 in multum diei. Justin. 38, 3 ante multum temporis — et q. s. Hoc loco quod Draegerus singularem hunc usum Livio primo vindicat, eo magis mireris quod in libro de syntaxi latina (p. 418) eum tribuit iam Sallustio. Praeterea eum fugit Verg. Georg. 1, 478 sub obscurum noctis. Livio is usus etiam in deliciis est: cfr. 2, 45, 10 ad ultimum seditionis. 2, 56, 5 dimicationis. 23, 19, 2 inopiae. 4, 18, 3. 6, 23, 2 in medium campi. 10, 28, 2 in quam maxime serum diei. 10, 32, 6. 22, 45, 1. 23, 16, 10 ad multum diei. 27, 2, 9 in multum diei. 33, 48, 6 in serum noctis. 45, 9, 2 per Europae plerumque. Ov. Pont. 1, 5, 75 per tantum terrae. Tac. XI, 21. XIV, 59 per medium diei. ann. XII, 56 post multum vulnerum.

cuncta scelerum suorum, — quod quidem invenitur primum apud Hor. carm. 2, 1, 23 cuncta terrarum — deinde apud Apul. met. 4, 12 cuncta rerum. Sed apud Sall. Ig. 93, 4 'ilex aucta in altitudinem, quo cuncta gignentium natura fert' — coniungere malim verba 'cuncta gignentium natura', non 'cuncta gignentium', id quod Jacobsius (ad loc.) vult; 'fert' Sallustius absolute posuit etiam in Ig. 54, 4 quo cuiusque animus fert.

Sall. hist. I. 61 (61) Traditur fugam in longinqua Oceani agitavisse. hist. II. 41 (50), 7. Italiae marituma et provinciarum. II. 43 (52) cava terrae. IV. 17 (32) Italiae plana et mollia. Liv. 5, 29, 4 per aversa urbis. 9, 35, 7 per obliqua campi. 21, 31, 2 mediterranea Galliae. 30, 12, 10 opportuna moenium. 38, 7, 2 maritima Aetoliae. Tac. Agr. 12 plana terrarum. hist. III, 42 plana Umbriae. ann. I, 76 plana urbis. ann. III, 34 longinqua imperii. hist. II, 85 avia Moesiae. IV, 70 Belgarum. ann. II, 15 Oceani. XIII, 37 Armeniae. — hist. II, 2 laeva maris. III, 76 intuta moenium. V, 26 abrupta pontis. ann. I, 50 obstantia silvarum. II, 16 prominentia montium. c. 23 aperta Oceani. III, 7 amoena Asiae atque Achaiae. IV, 5 idonea provinciarum. c. 24 locorum opportuna. —

Sall. Ig. 60, 6 summa (sc. muri). Ig. 78, 2 quorum (sinuum) proxima terrae praealta sunt.

Liv. 8, 26, 3 summa urbis. 26, 25, 2 proxima Illyrici. Tac. Agr. 37 summa collium. hist. III, 47 navium. V, 6 navis. ann. I, 68 valli. II, 17 arborum. IV, 51 castelli. hist. II, 75 militiae. XI, 8 imperii. hist. III, 42 per proxima litorum. ann. III, 1 proxima maris.

Liv. 21, 34, 6 extrema agminis — et al. Tac. hist. IV, 12 extrema Gallicae orae. c. 28 Galliarum. V, 11 rupis. c. 12 moenium. ann. II, 54 Asiae. IV, 67 ab extremis Surrentini promunturii. c. 74 imperii. XIV, 26 Armeniae.

Liv. 22, 17, 2 ima cornuum. Tac. ann. XII, 24 per ima montis Palatini. c. 57 ad lacus ima. XIII, 40 per ima collium. adde Tac. hist. II, 11 prima consiliorum. ann. II, 16 silvarum. hist. V, 12 novissima Libyae. ann. III, 73 per intima Africae. —

Germ. 41 in secretiora Germaniae. hist. II, 22 altiora murorum. IV, 72 ulteriora coloniae. V, 2 propiora Suriae.

Genetivum supra diximus tantummodo sensu partitivo neutris adiectivorum adiungi solere, sed interdum genetivus accedit etiam sine sensu partitivo ad neutra adiectivorum, pro quibus exspectemus substantiva abstracta; quem usum dicendi iam Haasius[1]) recte explicavit, cum scriberet: „Gewöhnlich wird hierbei aber Verschiedenes vermischt; die gewöhnlichsten und schon bei Sallust vorkommenden Beispiele haben partitiven Sinn; in andern Fällen aber giebt das

---

[1]) adnot. ad Reisig. Nr. 524.

Neutrum ein Prädikat zu dem Genetiv und zwar so, dass es entweder ziemlich gleichbedeutend ist mit der unmittelbaren adjektivischen Verbindung, also der Genetiv die Hauptvorstellung bleibt, wie strata viarum statt viae stratae, woher auch zuweilen ein solcher Wechsel vorkommt, wie bei Tac. ann. I. 61 humido paludum et fallacibus campis, oder das Neutrum ist für sich als abstrakter Begriff zu betrachten, für den es oft kein Substantiv giebt, z. B. inania honorum." Quibus verbis pauca addenda sunt. Ac primum quidem haud dubium esse potest, quin eiusmodi in locutionibus ut inania honorum neutrum adiectivi fungatur vice substantivi abstracti. Neque Haasius non recte animadvertit neutra adiectivorum adhiberi, si substantiva convenientia deficiunt vel non ita sunt usitata. Huc spectant Sall. hist. I. 19 (21) per incerta generis humani orare. Liv. 30, 15, 4 ad incerta fortunae. Tac. hist. I, 26 incerta noctis. c. 77 proeliorum. ann. III, 54 maris. IV, 23 belli[1]) XI, 20 Oceani. hist. IV, 81 Vespasianus certa maris opperiebatur. — Sall. hist. III. 61 (82), 4 statui certaminis advorsa pro libertate potiora esse forti viro quam omnino non certasse. Similiter Tac. ann. VI, 36 regem saevum in pace et adversis proeliorum exitiosum. — hist. II, 33 dubiis proeliorum exemptus. ann. IV, 6 infecunditati terrarum aut asperis maris obviam iit.[2]) Verg. Georg. 1, 478 sub obscurum noctis. Tac. hist. II, 14 ni victorem exercitum attinuisset obscurum noctis. IV, 50 obscuro adhuc coeptae lucis. ann. II, 39 obscuro diei. Val. Max. IX, 6, 2 in profundum puteorum. Frontin. I, 3, 10 profunda silvarum. Tac. Agr. c. 25 cum attollerent silvarum et montium profunda. — Tac. ann. II, 76 inania famae. IV, 59 vana rumoris. Sed hinc abhorrere locutiones 'strata viarum' 'humido paludum' alias tales maiusque in his pondus esse genetivi quam adiectivi mihi quidem Haasius non persuasit: immo is usus ea ipsa ex re originem videtur traxisse, quod adiectivum maius habebat pondus quam substantivum, ita ut substantivi vinculis sese studeret liberare. Ipsum igitur sibi conciliavit vim substantivi atque substantivum, cui attributive addita erat, sibi adiunxit genetivo casu. Si Tacitus dicit in ann. II, 68 'avia saltuum petit', vim maiorem tribuit adiectivo 'avia'; et in ann. I, 17 'ubi per nomen agrorum uligines paludum vel inculta montium accipiant', quam prope 'inculta' ad substantivi abstracti vim accedat, cernimus in verbis 'uligines paludum'. Adiectivis quominus his in locutionibus maius pondus vindicemus quam substantivis, nihil impedit, quod vulgo attributive substantivis addi solent, cum satis saepe Latini non in substantivo, sed in adiectivo attributive adiuncto maiorem vim ponant. Quamquam interdum cur adiectivum non attributive cum substantivo coniunctum sit, causam non esse dilucidam fieri non potest, quin concedamus. Eius-

[1]) Aur. Vict. Caes. 16, 8 incerta belli.
[2]) Liv. 33, 11 dura atque aspera belli.

modi adiectivorum vel accidentium substantivatio, ut ita dicam, sublimioris videtur generis dicendi esse neque poetis — imprimis epicis — non in gratia est: legimus apud Lucret. 1, 315 strataque iam vulgi pedibus detrita viarum saxea conspicimus. v. 340 per maria sublimaque caeli. v. 354 inter saepta meant voces et clausa domorum transvolitant. v. 489 per saepta domorum clamor it. Verg. 1, 422 miratur portas strepitumque et strata viarum. v. 310 convexa nemorum. 4, 451 convexa caeli. Hor. carm. 4, 12, 19 amara curarum. sat. 2, 2, 25 vana rerum. 2, 8, 83 fictis rerum. ars poet. 49 abdita rerum. Ov. met. I. 479 nemorum avia lustrat. v. 594 nemorum secreta. Lucan. 10, 253 trahitur Gangesque Padusque per tacitum mundi. Multo rarior is usus est apud pedestris orationis scriptores, in quibus Tacitus, qui generi dicendi poetico magno opere studeret, omnium longissime progressus est: Sall. Ig. 48, 3 humi arido atque arenoso. Similiter Tac. ann. I, 61 humido paludum. Liv. 9, 3, 1 per obices viarum, per adversa montium, per silvas eamus. 36, 27 antiqua foederum. Vell. 2, 75, 3 avia itinerum. Val. Max. 3, 2, 10 lubrico pelagi. Curt. 7, 11, 18 in inviis et asperis saxorum. Tac. hist. I, 79 lubrico itinerum. II, 88 viae. ann. I, 65 sanguine suo et lubrico paludum lapsantes. adde ann. VI, 49. XIV, 56. hist. I, 10 occulta fati. III, 65 offensarum operta. c. 76 amoena litorum. c. 82 per angusta et lubrica viarum. IV, 35 viarum angusta. c. 50 per inaccessa mapalium. c. 70 ardua Alpium. ann. I, 17 inculta montium. c. 61 occulta saltuum. c. 65 subiecta vallium. II, 68 avia saltuum. IV, 41 tacita suspicionum. c. 46 montium editis. c. 67 saeva ventorum. VI, 45 simulationum falsa. XI, 9 castellorum ardua. XII, 56 montium edita.

B. De genetivo relativo adiectivis addito.

De notione genetivi propria quamvis dissentiant viri docti, in hoc omnes conveniunt, quod genetivum ducant pro eo casu, qui nominis, cui additur, quasi speciem significet. Genetivus igitur quoniam casus est adnominalis, ad adiectiva quoque accedit tantummodo propter eorum indolem nominalem, id quod optime agnoscitur in participiis praesentis activi, quibus genetivus additur, si nomina fiunt, accusativus, si vim retinent verbalem. Neque aliter res se habet de veris adiectivis, quibus genetivus adiungitur ut nominibus, ablativus vel dativus vel praepositiones, si propius accedunt ad notionem verbalem velut peritum esse alicuius rei et aliqua re vel in aliqua re, imperitum rudem alicuius rei et in aliqua re, studiosum[1]) proprium similem dissimilem esse alicuius rei et alicui rei, quorum praecipue postrema dilucidum est plus habere notionis nominalis, si cum genetivo coniunguntur. Neque aliter Sallustius cum diceret in

[1]) Plaut. mil. 802 adulterio studiosus.

Ig. 43, 1 acri viro et quamquam adverso populi partium, adiectivum 'advorsus' pro substantivo usurpavit. — Ab adiectivis demum genetivus videtur translatus esse ad verba, ita quidem ut pertineat ad nomina in verbis latentia, cuius rei argumento sunt primum verba reflexiva 'meminisse recordari reminisci' eorumque activa 'moneo commoneo admoneo commonefacio', deinde verba 'cupere[1]) indigere egere', quibus genetivus adiungitur perinde ac si dicatur 'cupientem indigentem egentem esse alicuius rei'. Neque hinc abhorrent verba impersonalia, quae vocantur, 'piget pudet paenitet taedet miseret me alicuius rei venit mihi in mentem alicuius rei', quae verbalis notionis multum iam exuerunt transituraque sunt ad nomina.

Sed redeo ad adiectiva[2]), quorum de structura cum genetivo a sententia communi paullo recedimus. Genetivus enim ad adiectiva accedit primum pro casu obiectivo, id quod iam Draegerus recte explicavit[3]), cum genetivi adiectivis additi usum hoc modo definiret: „Adiectiva relativa mit dem genetiv bezeichnen entweder a) ein transitives Verhältniss — oder b) eine blosse Beziehung im Sinne eines ablativus relationis". — Si dicitur 'brevitatis studiosus' 'militiae prudens, sciens, peritus', manifestum est genetivum 'brevitatis' (militiae) casum esse obiecti, cuius vice, si additur nominibus, fungitur genetivus, si verbis, accusativus. Adiectiva ea, quibus adiungitur genetivus sensu obiectivo, solemus nominare proprie adiectiva relativa. — Sed genetivus accedit etiam ad ea adiectiva, quibus inest sensus absolutus, velut atrox odii audax ingenii ferox scelerum integer vitae aeger animi, ita ut genetivus ambitum adiectivi aliquo modo videatur limitare et coercere. Sed cum Draegerus eius generis genetivum pro ablativo relationis adiectivis adnecti diceret, genetivus ipse cuiusmodi esset aut eius usus unde esset profectus, non explicavit. Kühnerus aliique genetivos 'animi' et 'ingenii' pro locativis accipiunt: immo tales genetivi sunt genetivi subiectivi. Ut enim genetivus 'vitae' additus est substantivo 'integritas', prorsus eodem modo accessit etiam ad adiectivum 'integer'; ut 'ingenii' adnexum est substantivo 'audacia', plane eadem ratione etiam adiectivo ‚audax'; neque aliter res se habet de 'ferocitas scelerum' et 'ferox scelerum', vel de 'aegritudo animi' et 'aeger animi'. Quin 'integer vitae' dici non potuit nisi propter 'integritas vitae', 'audax ingenii' nisi propter 'audacia ingenii'. — Sed hic genetivi sensu subiectivo cum adiectivis coniuncti usus insolentior apud veteres raro nobis obvius est, a Cicerone et Caesare prorsus reicitur, inde demum a Sallustio augescit et quoniam a poetis sub Augusto florentibus excultus est, apud posterioris aetatis epicos praecipue apud Statium et

[1]) Verbi 'cupere' cum genetivo structura veteribus est usitata.

[2]) Holtze I. p. 331 et 336—37. Draeger I. p. 436 sqq. Kühner II. p. 319 sqq. Haase II. p. 16 sqq.

[3]) Synt. und Stil des Tac. § 71.

Silium Italicum latissime patet. Quamquam igitur Tacitum, qui huic usui ex pedestris sermonis scriptoribus longe maxime studuit, hanc dicendi consuetudinem ipsam adamasse putabimus non in Sallustio, sed in suae aetatis poetis, tamen quia adiectivorum multorum in structuris consentiunt, a quaestione nostra non alienum esse ratus sum, in similitudinem, quae inter utriusque genus dicendi intercederet, inquirere breviter dicturus de adiectivis vere relativis, copiosius de insolentiore illo genetivi usu. —

a) Veteres Sallustiumque secutus Tacitus cum genetivo coniungit 1) adiectivum 'manifestus' sensu proprio: Plaut. truc. I, 2, 30 mendacii. Amphitr. fr. IX. GL. Sall. Cat. 52, 36 rerum capitalium. Ig. 35, 8 sceleris. Tac. ann. II, 85 delicti. XIII, 26 criminis. XV, 60 coniurationis. — Sensu translato Ovid. fast. V, 313 doloris — et Tac. ann. IV, 53 offensionis aut metus. XII, 51 vitae. XIII, 23 vanitatis. XV, 54 magnae cogitationis. c. 66 pavoris. —

2) 'cupiens' Plaut. mil. 1049 et saepe. (cfr. Brix. ad capt. 98). Enn. ann. v. 80 regni. Sall. hist. fr. inc. 32 (V. 15) cupientissimus legis. Tac. ann. I, 75. VI, 46. XIV, 14. XV, 46, 72. XVI, 6. Aur. Vict. Caes. 24, 9. 33, 14 imperii. —

Ad exemplum adiectivorum plenus, inops, inanis cum genetivo coniungunt etiam adiectiva 'vacuus' Sall. Ig. 90, 1. Tac. ann. XV, 8 et 'fertilis' 'fecundus' Sall. Ig. 17, 5. Tac. Germ. 5. hist. I, 11. ann. IV, 65.

Deinde huc spectat 'melior' ad exemplum adiectivorum 'gnarus' 'peritus' 'sciens' cum genetivo coniunctum: Sall. Ig. 49, 2 ne rudes cum belli melioribus manum consererent — id est cum belli scientioribus, quia belli rudibus opponuntur belli meliores Tac. ann. III, 74 furandi melior. Sil. 5, 333. 7, 619. Sed 'belli' et 'militiae' in locutionibus egregius militiae Sall. hist. I. 106 (112), promptus belli hist. II. 13 (18), acer militiae Tac. hist. II, 5, strenuus militiae hist. III, 43, inglorius militiae hist. III, 59, impiger militiae ann. III, 48, expertus belli hist IV, 76 locativos ducimus.

Postremo[1]) confero Sall. hist. III. 81 (99) dubius consilii. Tac. hist. II, 83. IV, 21 ambiguus consilii. adde hist. III, 43 futuri. ann. I, 7 imperandi. II, 40 pudoris et metus. Tac. hist. III, 56

---

[1]) In iis adiectivis, quibus Tacitus genetivum addiderit, Draegerus (Synt und Stil des Tac. § 71 a) numerat etiam 'suetus': ann. I, 31 lasciviae sueta. XIII, 42 iuvenum imperitiae suetum. XV, 31 externae superbiae sueto. Sed cum 'suetus' saepius cum dativo, nusquam autem cum genetivo coniungatur, cur Draegerus his locis dativum statui noluerit, equidem non intellego. Ceterum Sallustius et Tacitus in adiectivi 'suetus' usu crebrius conveniunt: Sall. hist. II. 67 (77) genus militum suetum a pueritia latrociniis. II. 80 (78) genus hominum vagum et rapinis suetum magis quam agri cultibus. — Tac. ann. II, 52 vagos primum et latrociniis suetos. Praeterea 'suetus' cum dat. iungit hist I, 68. V, 6. 14. ann. XII, 50. 56 XIV, 27. — Infinitivum a 'suetus' aptum invenimus apud Sall. hist. I. 9 (10) At discordia et cetera secundis rebus oriri sueta mala. Apud Tac. Agr. 12 praeter oleam vitemque et cetera calidioribus terris oriri sueta. — ann. IV, 67. VI, 35. XV. 36.

improvidus consilii. hist. II, 46 certus consilii. IV, 3 spei. ann. I, 27 exitii. ann. XII, 3 matrimonii. XII, 32 destinationis. XII, 66 sceleris. XIV, 36 eventus. hist. IV, 14 desciscendi. ann. IV, 34 relinquendae vitae. ann. II, 75 incerta ultionis.

b) Insolentem usum genetivi sensu subiectivo cum adiectivis coniuncti iam supra dixi raro nobis obvium esse apud veteres, qui tamen interdum genetivum 'animi' hoc sensu addunt adiectivis affectuum: Plaut. cist. II, 1, 8 lassus animi. IV, 2, 3 animi miseram. Ter. Hec. 121 animi incertus. Eun. v. 274 ut falsus animist. — 'Animi' praecipue a veteribus addi notum est etiam verbis affectuum excruciari discruciari pendere angi se angere horrescere (Pacuv. tr. v. 294) ad significandam affectus sedem. A verbis reflexivis is usus translatus est etiam ad activa excruciare et discruciare[1]. Sed 'animi' genetivum esse posse cum alii negaverunt tum Kühnast (Liv. Synt. p. 391 Nachtr. z. S. 77), Kühner (l. l.), H. Peter (Haase, Vorlesgn. über lat. Sprachw. II. p. 65 Anmerkg.), Ebrard (l. l.), cum eam ipsam ob rem, quod etiam verbis adiungeretur, et propter eius sensum localem 'animi' acciperent pro locativo. Accedere quod ut animi, ita non animorum adiectivis adderetur, sed tantum animis. Quibus mihi non videtur assentiendum esse. Ac primum ipsi concedunt[2]) iam mature Latinis de memoria elapsum esse 'animi' esse locativum. Iam enim apud Plaut. trin. v. 454 'sanus mentis an animi tui' genetivus 'mentis' cum locativo illo, qui videtur, componitur. Neque sensum localem in locutionibus, quas attuli, verbo 'animi' inesse iis credo; plane alia ratione 'animi' et adiectivis et verbis additum videtur definiendum esse. Latinos enim substantivis affectuum satis notum est consuevisse adnectere 'animi', ubi linguae nostrae satisfacit substantivum absolutum; ut nos dicimus „der Trotz, die Angst, die Unglückseligkeit, die Trauer" et alia, ita Latini ferocia animi — angor timor animi — miseria animi — maeror animi. Qui usus cum latissime pateret, genetivum 'animi', qui quasi abundans additamentum cum substantivis coniungi solebat, etiam ad adiectiva translatum esse puto. Ab his demum videtur transiisse ad verba[3]), quae translatio non audacior est, quam si Tacitus dicit 'pudet dictu' (Agr. 32).

---

[1]) Exempla veterum collegit G. Ebrard. De ablativi locativi instrumentalis apud priscos scriptores latinos usu. X. Supplbd. der Jahrbb. p. 601.

[2]) cfr. H. Peter. l. l. „Das Bewusstsein, dass animi eigentlich eine Lokativform ist, war natürlich den Römern sehr frühzeitig abhanden gekommen".

[3]) Haasius (II. p. 23) et Draegerus non recte huc referunt Plaut. Epid. 138 desipiebam mentis, cum illa scripta mittebam tibi, — quem genetivi usum ad Graecorum morem dicendi revocari malim. Genetivus hoc loco seiunctionem significat; adhibitus igitur est pro ablativo (ich irrte ab vom Verstande); sapere mentis Plautus vix dixisset. Eiusdem generis genetivum habemus apud Plaut. Epid. 238 nec exaudibam nec sermonis fallebar tamen, quae loquerentur (οὐκ ἐσφάλην τῶν λόγων). Neque aliter usurpant Vergilius Aen. 10, 441 desistere pugnae. Horatius carm. 2, 9, 17 desine mollium querellarum. 2, 13, 38 laborum decipitur. Sil. 10, 84 consul non desinit irae.

Genetivus igitur 'animi' a principio non est alius generis, si adiectivis et verbis additur, ac si ad substantiva accedit, quibus sensu subiectivo adiungitur. Sed is genetivi usus cum semel esset inductus, etiam latius patuit. Genetivus 'animi' ipse quanti momenti fuerit ad eum amplificandum, elucet multis ex exemplis velut Sall. hist. III. 13 (10) ingens ipse virium atque animi [1]), quam adiectivi 'ingens' structuram imitatus est Tacitus hist. IV, 66 ingens rerum Civilis. ann. I, 69 femina ingens animi; vel Sil. 8, 17 Vaniloquum, Celtae, genus et mutabile mentis. Neque 'durus oris equus' (Ov. am. 2, 9, 30), 'flavus comarum' (Sil. 9, 414) huc non revocabimus. Alias genetivi adiectivis additi causam esse repetendam a substantivis iam supra monui velut integer aevi, vitae al. —

Locutionem 'integer aevi' iam Ennium (tr. v. 403) usurpasse tradit Servius ad Verg. Aen. 3, 255. Praeterea apud veteres nihil inveni, quod huc possit referri neque aureae aetatis scriptores ab hoc genetivi usu se non abstinuerunt, nisi quod Cicero genetivum 'animi' coniunxit cum verbis 'se angere' et 'pendere'. Sed inde a Sallustio in dies magis amplificatur; legimus enim apud Sallustium hist. III. 75 (92). IV. 72 (75) incertus animi. hist. II. 92 (93) atrox animi. III. 17 (15) firmatus animi [2]). IV. 27 (60) inquies animi. IV. 71 (74) nimius animi. IV. 71 (74) et 72 (75) anxius animi. hist. fr. inc. 114 (113) immodicus animi. IV. 49 (7) exterritus animi (?). Sequuntur eum et poetae et pedestris orationis scriptores hoc in usu. Apud Vergilium reperies 'amens fidens infelix integer maturus praeceps egregius animi'. Sed poetae etiam longius progrediuntur velut Verg. Aen. 5, 73 aevi maturus. 9, 255 integer aevi. Hor. carm. 1, 22, 1 integer vitae Ov. met. 9, 441 integer aevi. Stat. Theb. 1, 414 integer annorum. Hor. sat. 2, 2, 60 miser cultus. Ov. am. 2, 9, 30 durus oris equus. met. 8, 612 mentis ferox. fast 6, 572 dubius mentis. Omnium autem audacissimi sunt posterioris aetatis epici Statius et Silius Italicus: Stat. silv. 2, 3, 72 florens animi morumque iuventa. 3, 2, 64 audax ingenii. Theb. 3, 99 egregius fati mentisque. 7, 301 improba connubii. Sil. 1, 56 sinister fidei. 3, 253 pravus fidei. v. 380 fragilis aevi. v. 404 aequales aevi. 4, 50 fluxam morum gentem. v. 370 aetatis mentisque pares. 5, 77 egregius linguae. v. 563 viridissimus irae. 8, 570 Bruttius haud dispar animorum. v. 261 pravus togae. 9, 414 flavus comarum. v. 636 plebes prava favoris. 12, 417 turbidus irae. v. 482 floridior aevi. 13, 214 turbidus ausi. 14, 269 clamosus undae Helorus. 15, 504 Arar pigerrimus undae. 17, 454 ferridus ingenii Masinissa et fervidus aevi. — Talis genetivi usus ut apud poetas quasi gradus atque progressus inde ab Augusti temporibus videmus, ita etiam sermo pedester eum in dies magis adamavit.

[1]) Quam de 'animi' sensu locali sermo esse non possit, hoc ex loco optime cognoscitur.

[2]) Tac. ann. I. 6 firmatus animo.

Creberrime quidem genetivum 'animi' adiectivis additum invenimus, sed legimus iam apud Velleium 2, 93 laetus animi et ingenii — et iam Livius dixit 'imperii nimius' (3, 26, 12). Omnibus autem insolentior est Tacitus, qui hoc in usu etiam poetas paene vicit. Legimus apud eum hist. I, 35 ferox linguae. ann. I, 32 animi. ann. IV, 12 scelerum. hist. I, 53 animi immodicus (cfr. Sall.) ann. XV, 23 ut laetitiae ita maeroris immodicus. hist. II, 23 promptus animi. III, 55. ann. VI, 46 incertus animi[1]) (cfr. Sall.) hist. III, 58 aeger animi. III, 73 captus animi. hist. III, 75 nimius sermonis (cf. Sall. nimius animi. — Liv. imperii). hist. III, 57 constans fidei. IV, 48 turbidus animi. IV, 84 diversus animi. ann. XIII, 26 diversus sententiae. XIV, 19 diversus morum. ann. II, 26 laetus animi. IV, 34 eloquentiae ac fidei praeclarus. IV, 59 fidens animi (cfr. Verg. Aen. 2, 61). ann. VI, 6 praestantissimus sapientiae (cfr. Verg. Aen. 12, 19) ann. XII, 22 atrox odii (cfr. Sall.) ann. XIV, 19 spernendus morum. —

Usu genetivi gerundii qualitativo, quem fusius tractavit Em. Hoffmann (Jahrbb. 110 p. 545 sqq.), misso iam transeamus ad

C. Verborum compositorum cum accusativo structuram.[2])

Verba intransitiva maximeque ea, quae motum exprimunt, si cum praepositionibus componuntur, abire saepius in structuram transitivam, ita ut etiam passivum eorum personaliter ponatur, pervulgatum est. Plerique grammatici solent praecipere verba, quae cum praepositionibus circum-per-praeter-trans componantur, plerumque fieri transitiva, sed in compositione cum praepositionibus ad-cum-in-ob-sub-subter recipere ea structuram transitivam vulgo nonnisi sensu translato; ita dicit Seyffertus § 158, 2: „In der Zusammensetzung mit andern Präpositionen, namentlich mit ad, cum und in, haben mehrere der genannten Intransitiva den Akkusativ, aber meist nur in einer übertragenen Bedeutung.“ Cui aliqua ex parte contraria docuit Draegerus I. § 185:. „Die Intransitiva, welche mit den Präpositionen ad ante prae con in inter ob re sub super zusammengesetzt sind, pflegen in übertragener Bedeutung den Dativ zu regieren. Dagegen wird die blosse lokale Bestimmung in der Regel, aber nicht immer durch eine Präposition ausgedrückt.“ Seyffertus igitur sensum translatum vindicat horum verborum cum accusativo structurae, Draegerus structurae cum dativo non explicata structura transitiva. — Quamquam Seyffertus rectum videtur sensisse, tamen malim sequi

---

[1]) Alius generis est genetivus ann. II, 75 incerta ultionis.

[2]) Holtze I. p. 196 sqq. Kühner II. p. 139. Draeger I. p. 348. Haase II. p. 73 sqq. p. 130 sqq.

Haasium, qui Latini cur et accusativum et dativum et praepositiones isdem verbis addiderint, causam esse repetendam censuit non a proprio vel translato verborum sensu, sed a notione casuum praepositionisque. Ceterum causam primariam, cur accusativus verbis compositis addita sit, positam esse in praepositionis vi, quae etiam in verbo composito valida erat, elucet cum ex verborum compositorum structura transitiva, si sensu proprio id est locali collocantur, tum ex structura eorum compositorum, quorum verba simplicia habent sensum transitivum velut Plaut. most. 843 eho istum puere circumduce hasce aedis et conclavia. Caes. b. c. 3, 61, 1 alqm. praesidia circumducere. — A sensu verborum locali cum profectus esset sensus translatus, non compositionis eorum, sed tantum notionis ratio habita est. Quae notio cum esset transitiva [1]), verbum compositum prorsus pro transitivo adhibebatur ita ut accusativus ei adiungeretur pro casu obiectivo. Neque si haec verba sensu locali cum accusativo coniungebantur, Latini postea sibi conscii erant hanc structuram referendam esse ad praepositionis vim, sed cum structuram eorum acciperent pro transitiva, etiam passivum personaliter fingebant. Quae cum ita sint, structurae verborum compositorum cum accusativo dativo praepositionibus quomodo inter se differant, dilucidum est. Structura transitiva significabatur inter actionem verbi (motionem) obiectumque, ad quod actio (motio) pertineret, multo esse artius vinculum, quam si dativus vel praepositio ex verbo penderet, quoniam accusativus erat casus obiectivus. Dativus autem nihil aliud significabat nisi appropinquationem, praepositiones autem directionem. 'Adnare naves' idem est ac naves nando assequi, 'adnare navibus' navibus nando appropinquare vel eas petere, 'adnare ad naves' ad naves versus nare. —

Ex verbis compositis accusativus vulgo accedit ad ea, quae cum praepositionibus circum-per-praeter-trans composita sunt. — Apud veteres reperimus alqd. circumire circumvectitari (Plaut. rud. 933) circumcursare (Plaut. rud. 233) circumfluere circummoeniti sumus (Plaut. capt. 254), apud aureae aetatis scriptores circumvenire circumire circumsedere circumstare circumsistere circumsonare alqd., circumfundi (Caes.) circumflari (Cic. Verr. 2, 98). Nepos usurpat primus circumvehi alqd., Sallustius circumsidere alqd. (Ig. 21, 3. Liv. 23, 30, 6 al.) et circumgredi alqd. (hist. IV. 61 [19], 21), quod verbum una cum eius structura transitiva posteriore tempore revocavit Tacitus (ann. I, 64. II, 17. 25. IV, 73. XII, 28) secutis Ammiano (16, 12, 59) et Aurelio Victore (Caes. 21 5), Sallustii Tacitique amatoribus. Apud Vergilium primum legimus circumvolitare alqd. (Georg. I, 377), apud Horatium circumvolare -gemere -mugire -tonare, apud

---

[1]) Etiam verborum cum praepositione 'ex' compositorum cum accusativo structurae causa posita est in notione superandi, quam haec verba compositione accipiunt. —

Ovidium circumplaudere alqd. (Trist. 4, 2, 49), apud Livium circumcolere (15, 33, 10. 31, 41, 4) -equitare (10, 34, 7) -vadere alqd. (9, 40, 13 al.). Seneca primus habet circumstrepere (de vit. beat. 11. Tac. hist. II, 44 legatus circumstrepitur. Apul. apol. 75 fenestrae circumstrepitae), circumfremere (cons. ad Marc. 7, 2) circumlatrare (ibid. 22, 3) alqd. — Postea novi non multum invenimus, apud Tacitum et Plinium nihil. — Neque verba cum praepositionibus per-praeter-trans composita vulgo cum accusativo non coniunguntur, quorum tamen usum, cum ad quaestionem nostram nihil afferant, supersedeo accuratius demonstrare.

Rarius accedit accusativus ad verba cum praepositionibus ad-ante-prae-in-inter-ob-sub-subter composita.

1) ad. Veteres cum accusativo coniungunt praeter verba 'adire' et 'aggredi' vulgo ita usurpata haec: accidere Plaut. stich. 88 aures. Lucr. 5, 608 interdum segetes stipulamque videmus Accidere ex viva scintilla incendia passim. — accumbere. Plaut. Men. v. 476. 1144. Bacch. 1189. Att. tr. v. 218. Lucil. lib. XIII. v. 7 mensam, scortum. — accubare Plaut. Bacch. 72 scortum. — adhinnire Plaut. — accolere Naev. — accedere. Huius verbi structuram transitivam propter Nipperdeium ad ann. XII, 31, 2 et Draegerum[1]), qui ante Tacitum eam vindicant Varroni Nepoti Sallustio solis, moneo multo saepius inveniri: Plaut. most. 674. Epid. 149 (periclum). Lucil. lib. III. v. 13 ut Setinum accessimus finem. Enn. tr. v. 313 non potis accedi. ann. fr. v. 527. Att. tr. v. 218 M. Cael. hist. fr. 41. terram. Nep. Them. 4, 1 astu. Hann. 8, 1 Africam. Varr. d. r. r. 1, 7, 8 aliquot regiones. Sall. Ig. 18, 9. 20, 3. 62, 1. 71, 5 97, 3. Verg. Aen. I, 201 scopulos. v. 307 quas vento accesserat oras. Tac. hist. II, 27. III, 24. ann. II, 58. XII, 31. 33. XIV, 35. Verbi igitur 'accedere' structuram transitivam veterum poetarumque sermoni vindicabimus. — Apud aureae aetatis scriptores cum accusativo coniuncta invenimus verba haec: adire aggredi adoriri ascendere accolere advolare (Cic. ad. Att. 1, 14, 5) adnare (Caes. b. c. 2, 44, 1) adiacere (Nep. Thim. 2, 1. Liv. 7, 12, 6) Sallustius dicit hist. fr. inc. 92 (60) genua patrum advolvuntur, cuius verbi in usu eum sequuntur Tacitus hist. IV, 81 genua eius advolvitur. ann. I, 13 cum Tiberii genua advolveretur. VI, 49 quamquam genua patrum advolveretur. XV, 71 genua ipsius advolvi — et Apuleius met. 6, 2 pedes eius advoluta. apol. c. 94. Deindę accusativum addit verbis 'assidĕre' Ig. 11, 2 dextra Adherbalem adsedit — et 'assidēre' hist. IV. 42 (1) Amisumque adsideri audiebat, — quod verbum praeter eum ita usurpant soli poetae et Tacitus: Verg. Aen. 11, 304 muros adsidet Val. Flacc. 5, 335 me gravis adsidet hostis. Sil. 9, 624 adsidet arces. 12, 453 adsessos Capuae muros. Tac. ann. IV, 58 moenia urbis adsidens. VI, 43 adsidendo castellum. — Sed in Ig.

[1]) Synt. und Stil des Tac. § 20.

25, 5 'Uticam adpulsi' et 86, 4 ,Uticam advehitur' utrum habeamus structuram verborum transitivam an accusativum regionis, qui dicitur, dubium est. — Apud Livium legimus 'allatrare alqd.' (38, 54, 1). Poetarum propria sunt allabi assilire advenire advehi afflare (Ov. met. 1, 542) et alludere alqd. Sed omnium latissime is usus patet apud Tacitum, qui praeter Sallustiana illa 'accedere' 'assidere' 'advolvere' cum accusativo coniungit etiam 'accurrere' ann. XV, 53 (Apul.) 'appellere terram' ann. II, 25, 'appugnare' ann. II, 81 classem. IV, 48 castra. XV, 13 castellum. 'assultare' ann. I, 51 latera et frontem. 'adventare' ann. VI, 44 propinqua Seleuciae — et poetis praeeuntibus 'advehi' ann. II, 45 ut quosque advectus erat. ann. III, 1 Corcyram insulam advehitur. hist. III, 24. V, 6. Verbo 'propinquare' a Sallustio (hist. IV. 62 [20]) et Tacito (ann. XII, 13) accusativus utrum ad similitudinem verborum compositorum adiunctus sit, an ad significandam regionem, dubito. —

Ex iis igitur, quae attulimus, elucet verba cum praepositione 'ad' composita sensu proprio cum accusativo coniungi praecipue a veteribus et poetis, optimos tamen scriptores structuram eorum transitivam plerumque reiecisse, nisi iis inerat sensus translatus. Poetas Sallustiumque veterum sectatorem secutus posteriore tempore Tacitus usum eorum transitivum magno opere amplificavit. —

2) in. Magis vulgata est structura transitiva verborum cum praepositione 'in' compositorum. Apud veteres praeter verba vulgaria 'inire invenire invadere increpare' cum accusativo coniuncta invenimus: incumbere gladium Plaut. cas. 2, 4, 23 — incursare alqm. rud. 722. Asin. 34 — instare viam Asin. 54. Poen. 4, 2, 96 — insistite hoc negotium mil. 929. Lucr. 1, 406 cum semel instituerunt vestigia certa viai. — inlucere. Bacch. 256. — inclamitor. Epid. 711 — insultare fores calcibus Ter. Eun. 285, quod verbum sensu translato cum accusativo iungunt Lucilius, Sallustius (hist. fr. inc. 83 [50]), Tacitus (ann. IV, 59. XI, 28.) — impendere Ter. Phorm 180 tanta te impendent mala. Lucil. fr. inc. 98. Lucr. 1, 326. — insidēre Naev. com. v. 107 currum (Ribb. curru). Plin. 5, 69 Joppe Phoenicum insidet collem Tac. ann. IV, 5 quamquam insideret urbem proprius miles. XII, 62 quando ea loca insiderent. — insidĕre. Cl. Quadrig. fr. 12 P. agrum Pomptinum insederant. Sall. hist. fr. I. 9 (10) sacrum montem atque Aventinum insedit. I. 108 (116). Liv. 35, 11, 2 al. Senec. Phoen. 122 saxum. Tac. ann. I, 63 campum quem hostis insederat. XII, 43 insessum diris avibus Capitolium et saepe (cfr. Nipp. - Andr. ad. ann. XII, 64). Plin. paneg. 26, 1 vias. — insinuare Lucr. 1, 408 caecas latebras. Liv. 44, 41, 8. — incubare Varr. d. r. r. 3, 9, 8 (saepius in locutione 'ova incubare'). —

Optimi scriptores transitive adhibere solent ingredi inire invenire invadere invehi impugnare insistere. Increpitare alqm. legimus apud Caes b. g. 2, 15, 5. — irrumpere c. acc. exstat apud eund.

b. c. 1, 27. 2, 13. 3, 111. — involare Cic. de tog. cand. fr. 19 K. — illabi de legg. 2, 15, 39. —

Apud Sallustium primum invenitur insilire c. acc. hist. V. 3 (4) equum, sed Sallustius horum verborum structuram transitivam adamat; coniungit enim cum accusativo ingredi invadere incedere (tropice) insidĕre insultare (trop.) inrumpere (Ig. 25, 9. 58, 1) incurrere (hist. fr. inc. 64 (30). Tacitus cum eo consentit in usu verborum insidĕre inrumpere (cfr. Nipp.-Andr. ad. ann. II, 11) insultare incurrere (ann. I, 51. II, 17); verbum 'incedere' quod vulgo[1]) tantummodo sensu translato transitive usurpatur, etiam sensu proprio apud eum habet structuram transitivam: ann. I, 61 incedunt maestos locos. adde ann. XIV, 15 scaenam. 20 fontem; quo verbi in usu Tacitum secuti sunt Justinus et Apuleius. Primus videtur cum accusativo coniungere 'incidere' hist. III, 29 quos inciderat — et 'irrepere' ann. IV, 2 militares animos.

Haec quoque verba composita ab optimis scriptoribus sensu proprio coniungi solent cum dativo aut cum praepositione; velut verbi 'invehi' structura transitiva, si sensu proprio ponitur, demum Livio videtur in usu esse. Sed ut apud veteres praepositionis vim etiam in verbis compositis validiorem fuisse non absonum est dicere, unde fit, ut praecipue apud eos haec verba etiam sensu proprio transitive posita inveniamus, ita posteriore tempore notionem verborum compositorum ipsam factam esse utique transitivam putabimus; accusativus igitur iis additus est secundum structuram ad sensum, quae vocatur. Ceterum verborum compositorum usum transitivum apud veteres omnino latius patuisse testes sunt etiam verba cum praepositione 'ob' composita. Nam cum in usu vulgari sint verba obire oppugnare obsidēre[2]) c. acc., legimus apud Plautum merc 408. Pers. 569 occentare ostium. Stich. 572 occentare senem — mil. 1047 ita me occursant multae. — Poen. 14 obrepet te fames. (adde trin. 61. 974). — Posteriore demum tempore simile quid deprehendimus apud Ammianum 24, 2, 9 civitatis moenia obequitare.

3) sub. Ex verbis cum praepositione 'sub' compositis vulgo transitive adhibentur 'subire' et 'succedere'. Alia rara sunt velut subrepere alqd. Hor. sat. 2, 6, 100 — subsidere alqd. (sensu translato) apud Verg. Aen. 11, 268. Sil. 13, 221. Ad similitudinem verborum ‚subire' et 'succedere' Sallustius usurpavit 'suggredi alqd.' hist. IV. 67 (68) Stolide castra suggressus, — quod verbum Tacitus ab eo mutuatus tamen non posuit nisi absolute aut cum dativo. (ann. II, 12. IV, 47. XIII, 57. XIV, 37. XV, 11). —

4) ante-prae. De verbis superandi cum praepositionibus 'ante' et 'prae' compositis quoniam accuratius disputavit Seyffertus[3]), iis,

---

[1]) Inde a Sall. IV. 61 (19), 15 inopia ambos incessit.
[2]) 'occumbere mortem' num huc referendum sit, dubium est.
[3]) Vorrede zur V. Aufl. der Schulgrammatik.

quae dixit, expletis usum Sallustianum Tacitinumque in comparationem vocasse satis habeo. Ac primum Seyffertus Ciceroni et Caesari recte videtur vindicasse structuram transitivam tantum eorum verborum, quae motum exprimunt (anteeo, antecedo praecedo), non eorum, quae indicant quietem (antecello praecello antesto praesto). Ceterum verba composita, quae motum significant, omnino multo facilius abierunt in notionem structuramque transitivam. Quod si Seyffertus dicit p. VII: „Der Analogie dieser Verba folgend, hat Sallust antevenire, Pseudosallust praegredi, die Schriftsteller des silbernen Zeitalters praevenire cum accusativo construirt, sowie Tacitus praemineo c. acc. nach der Analogie von praecello“ et p. VIII. inde a Livio censet secundum structuram *Κατὰ σύνεσιν* transitive coepta esse adhiberi etiam verba praesto antecello praecello excello, non omnia accurate exposuit.

Ac primum quod attinet ad verba motum exprimentia, verbi ‘antevenire’ passivum, quod verbum ipsum omnino non frequenti in usu est (Plaut. Cat. Sall. Verg. Tac.), personaliter dicitur iam a Catone or. LXIV. Jord. quod compluriens usu venit, omni tempore anteventum esse e republica credimus. At omnium saepissime hoc verbum cum accusativo coniungit Sallustius Ig. 4, 7. 48, 2. 56, 2. 88, 2. 96, 3, quem sequitur Tacitus ann. I, 63.

Verbi ‘praevenire’ passivum personaliter posuit primus Sallustius Ig. 71, 5 quae ipse paravisset, perfidia clientis sui praeventa. Saepius eius verbi structuram transitivam invenimus inde a Livio; Tacito in deliciis est passivum eius personale: hist. I, 5 praeventam gratiam. ann. I, 53 II, 65. 79. XIV, 7.

Ad exemplum verborum a Sallustio transitive collocatorum auctor epist. d. rep. ad Caes. sen. I, 1, 2 usurpavit ‘praegredi alqm.’, quod inde a Livio frequentiore in usu est. Sed iam apud Pacuvium legimus v. 48 Extremum inter camterem ipsum praegradat Parthenopaeum. — ‘Antegredi c. acc.’ exstat apud Ciceronem de nat. deor. 2, 53.

His verbis addidit Tacitus ‘praeire alqm.’ ann. II, 83. VI, 21. XV, 4, quod alias non exstat.

Iam ex verbis, quae quietem significant, verbum ‘praestare’ primus cum accusativo coniunxisse videtur Cato ap. Non. 502, 23 — deinde Nep. Ep. 6, 1; quae verbi structura in gratia est Livio, sed spernitur a Tacito.

‘antestare alqm.’ invenitur apud Metell. Numidic. (cfr. Gell. 12, 9, 4) qua in re quanto universi me unum antistent. — Mel. 3, 6, 7 — Apul. 4, 8 robore ceteros.

‘antecellere alqm.’ passive usurpat iam Cornif. 2, 30, 48 qui his omnibus rebus antecelluntur. Valer. Max. 3, 8, 1. Tac. hist. II, 3.

Verbi ‘praecellere’ structura transitiva in Taciti proprietatibus habenda est. (ann. II, 43.)

‘praeminere‘ cum accusativo coniungunt Sall. hist. II, 85 (83) omnes, qui circum sunt, praeminent altitudine milium passuum du-

orum'. — Arusianus hunc locum affert ad structuram 'praeminet illam rem illa re' demonstrandam, quam ob rem 'omnes' pro accusativo ducemus. — Senec. contr. 1, 14, 12 praeminet Graecos. Tac. ann. III, 56. XII, 12. 33. XV, 34. Draegerus igitur ad ann. III, 56 non recte adnotat: praeminere c. acc. ist Taciteisch. — Das Wort kommt früher nur bei Sallust vor. —

Postremo hic affero usum verbi praesidere transitivum, qui Sallustii Tacitique est proprius. — Sall. hist. II, 28 (34). III, 66 (76). — Tac. ann. III, 39. IV, 5. 72. XII, 14. 29.

D. De accusativo absoluto, qui vocatur.

Maxime singularibus linguae latinae in proprietatibus est usus accusativi qui vocatur absoluti pro casu determinationis id est genetivo nominibus additi[1]). Huc spectant id hoc omne genus — id hoc istuc idem aetatis: Cat. d. r. r. 8, 2 hortum omne genus, coronamenta omne genus. Lucil. lib. XI, 5. id genus rudus. XX, 3. aliqua id genus herba. Cic. ad Att. 13, 12, 3 aliquid id genus. Varr. sat. Men. p. 175, 22 R. et saepius in libris de re rustica. Catull. 114, 3 aucupia omne genus. Hor. sat. 2, 6, 44. Liv. 1, 8, 3 apparitores hoc genus. Petr. 71. omne genus poma. —

Plaut. Bacch. 2, 3, 109 hoc aetatis senex. 5, 1, 4 hocine me aetatis. mil. 3, 1, 24 istuc aetatis homines. Trin. 3, 3, 57 hoc me aetatis. Ter. heaut. 1, 1, 58 ego istuc aetatis. Cic. pr. Rosc. Amer. 23, 64. Verr. 1, 26, 26. 2, 14, 37. 37, 91 al. Liv. 10, 24, 6 se id aetatis. Tac. ann. V, 9 id aetatis corpora. XIII, 16 idem aetatis nobiles; similiter ann. XII, 18 nemo id auctoritatis. —

Ab hoc accusativi usu abhorrere non videtur 'virile muliebre secus': Plaut. rud. 107 virile secus nunquam ullum habui. — Sempron. Asell. fr. 7 P. eum, quem virile secus tum in eo tempore habebat, produci iussit. — Sisenn. fr. 80 P. Tum in muro virile ac muliebre secus populi multitudine omni collocata. — Sall. hist. II. 23 (29) concurrentibus undique virile et muliebre secus per vias ac tecta omnibus. — Liv. 26, 47 Liberorum capitum virile secus ad decem milia capta. — Tac. hist. V, 13 multitudinem obsessorum omnis aetatis virile et muliebre secus sescenta milia fuisse accepimus. — ann. IV, 62 adfluxere avidi talium virile ac muliebre secus omnis aetas. — Amm. 16, 11, 9. 29, 6, 8. —

Draegerus 'id (hoc omne) genus' appositionis loco nominibus addi censet, sed 'id (hoc idem) aetatis' a principio positum ad significandum temporis spatium factum esse quasi adverbium itaque attri-

---

[1]) cfr. Brix ad Trin. 787. Kühnast Liv. Synt. p. 151. Draeger. Hist Synt. § 7. § 178. — Synt. und Stil des Tac. § 44. — P. Thielmann, Diss. Argent. II.

butive etiam cum nominibus coniunctum esse.[1]) Quin 'id hoc idem istuc aetatis' sint accusativi temporales, vix dubitabimus, si conferemus Plaut. merc. 2, 2, 19 quid ego tibi aetatis videor. Pers. 2, 4, 5 scio ego quid sim aetatis. mil. 3, 1, 65 illuc aetatis qui sit. Cic. de inv. 2, 30 92 cum id aetatis essem. Apul. met. 10, 8 quod aetatis sum. — Sed accedebant etiam ad ea verba, quibus non accusativum temporis, sed ablativum expectes adiungi, quia sermo est non de spatio, sed de puncto temporis, quod quidem cadit magis in locutiones similes 'id temporis' 'hoc noctis': Cic. pr. Rosc. Amer. 34, 97 ut id temporis Romam proficisceretur. Cat. 1, 4, 10. de fin. 5, 1. 1. auct. bell. hisp. 3, 7. Tac. ann. XII, 8 al. — His igitur locis significationem accusativi principalem prorsus obscuratam esse videmus; 'id temporis' et 'hoc noctis' abierant in notionem adverbiorum. — Quod si id hoc idem aetatis nominibus adduntur, temporalis accusativi vis satis manifesta est; participium enim verbi 'esse' quasi subaudiebatur. —

Sed id-hoc-omne genus Draegerus et Peterus non recte videntur appositionis loco nominibus addi censere, neque Kühnero[2]) eiusmodi accusativos Graecorum more adhibitos esse credo. Primum enim obstare videtur, quod non inveniuntur nisi apud eos scriptores, quorum oratio sermoni propior est vulgari, in libris Catonis de re rustica, in satiris Lucilii Varronis Horatii Petronii, in epistulis Ciceronis. Neque accusativi Graecorum qui vocatur respectivi notio non magno opere aliena est a significatione accusativi id genus, hoc genus, omne genus: immo substantivum 'genus' in accusativo casu fixum esse arbitror, unde factum est, ut nominibus adderetur pro genetivo, non appositionis loco. Nam 'genus' accusativus videtur esse etiam in locutione 'quod genus est' vel 'quod genus' pro 'ut' ‚velut' passim posita: Lucil. lib. III. 29. Varr. d. r. r. 2, 10. Cornif. 2, 30, 48 quod genus ei sunt, a quibus . . . 4, 49, 62 unius cuiusque generis singula subiecissemus exempla, nisi exemplum quod genus esset, in expolitione demonstrassemus. — Cic. de inv. 2, 52, 157 est quiddam, quod sua vi nos adliciat ad sese non emolumento captans aliquo, sed trahens sua dignitate, quod genus est virtus scientia veritas et q. s. His locis 'genus' nominativus vix esse potest, quamquam quomodo accusativum definiam, despero. Ceterum ab usu accusativi 'genus' non diversum est 'secus', quod nusquam nominativum putaverim, id quod Draegerus statuit ad ann. IV, 62: „secus statt sexus nur im Nominativ und Akkusativ gebräuchlich."

---

[1]) Similiter H. Peter (Anmkg. z. Haase Vorles. p. 66): „Sollte nicht die Sache so sein, dass id aetatis ursprünglich adverbielle Bestimmung zum Sein war, dagegen id genus vielmehr Apposition zum Nomen."

[2]) II. p. 417.

Sequitur ut in comparationem vocemus usum accusativi insolentius appositionis loco adnexi ad totum enuntiatum. Cum enim Cicero[1]) superiori sententiae accusativum pro appositione non adiungeret nisi in iudicio aliquo adiciendo (rem difficilem — rem inconditam et al.) Sallustius Graecorum more coepit eum addere sententiae superiori etiam ad significandum et effectum et finem actionis verbi enuntiatum superius regentis, a quo accusativus aptus esse putandus est. Quo in usu cum alii eum secuti sunt, tum maxime Tacitus: Sall. hist. I. 41 (45), 12 plebis innoxiae patrias sedes occupavere pauci satellites, mercedem scelerum. hist. IV. 61 (19), 8. Eumenem initio prodidere Antiocho, pacis mercedem. Tac. hist. IV, 19 pretium itineris donativum — postulabant non ut adsequerentur, sed causam seditioni. ann. I, 27 manus intentantes, causam discordiae et initium armorum. ann. II, 64 excindere castella causas bello. — adde hist. I, 44. 72. III, 61. IV, 18. ann. I, 30. 35. 39. 56. IV, 10. —

Sed agnoscuntur Taciti studia Sallustiana non orationis tantum ex similitudine, sed etiam multo magis ex universa describendi ratione, praecipue in Agricola, quem librum recens a studio Sallustii videtur composuisse. Neque digressiones et historicae et geographicae, quas operibus interposuit, Sallustii genus narrandi non magno opere redolent. Libros aliquot ipsos Tacitus disposuit ad eius exemplum. Sed omnium maxime Sallustii imitatio cernitur in orationibus atque singulorum hominum in descriptionibus. —

A. De librorum dispositionibus.

Sallustius, priusquam 'historias' opus potissimum scribere aggrederetur, a minoribus libris orsus quid in historia conscribenda posset, expertus est. Neque tamen in Catilina neque in Iugurtha est vere historicus — quamquam iam magis in hoc libro quam in illo — sed librorum compositio et exornatio rerum totusque color morem prae se ferunt rhetoricum. Accedit, quod egressionibus orationibusque Catilinae quidem maior pars expletur. Nam incipiens a principio, quod nihil ad historiam spectat (c. 1—2), postquam deinde de se et historia (c. 3—4) disseruit Catilinaeque mores accuratius ostendit (c. 5), longam egressionem de civitatis moribus, cuiusmodi inde a primordio urbis fuissent, adiunxit (c. 6—13): narrationi ipsi inseruit orationes Catilinae duas (c. 20 et c. 58) satis longas et Caesaris atque Catonis copiosissimas (c. 51 et c. 52). — Iam vero in Iugurtha principium (c. 1—4) non multum a prooemio Catilinae abhorrere iam Eussnerus monuit. Rerum cursui interpositae sunt orationes Micipsae (c. 10) et Adherbalis (c. 14) eiusdemque litterae (c. 24), deinde egressio de situ Africae (c. 17—19) et Memmii con-

[1]) cfr. Madvig de fin. XXIII, 75 p. 268.

tio (c. 31). De civitatis moribus eodem fere modo Sallustius disputavit in Iugurtha (c. 41—43); quo in Catilina (c. 10 sqq.). Egressionem denique de Philaenis fratribus (c. 79) et Marii orationem copiosam (c. 85) attulisse satis habeo. — In historiis principium eiusmodi, quod est in libris minoribus, requirimus[1]; incipit enim Sallustius: 'Res populi Romani M. Lepido Q. Catulo consulibus ac deinde militiae et domi gestas composui'. Deinde loquitur de se et historia (fr. 2—5 D.) neque egressionem de civitatis moribus praetermittit (fr. 6—14), quantum ex fragmentis conicere licet. Egressionem geographicam reperimus libro tertio (fr. 41—46), quae egressio a veteribus proprio nomine laudatur 'de situ Ponti'. Orationibus vero quam magnam dederit operam etiam in historiis, ex iis, quae ad nos pervenerunt, facile cognoscitur. In universum igitur dispositionem parem omnibus in libris secutus est, nisi quod historias in modum annalium per singulos annos digessit.

Tacitus, qui ipse quoque exemplum Sallustii secutus initio minoribus in scriptis substitit, hanc eius dispositionem primo libro historico, quem scripsit de Agricolae vita et moribus, plene quasi expressit, id quod iam ab Eussnero intellectum nuper ab Urlichsio[2] accuratissime ante oculos nobis positum est, quam ob rem in comparationem vocabo tantummodo ea, quae maioris sunt momenti. — Agr. c. 1—3 = Cat. 3—4. Ig. 3—4, ubi pari modo de se et historia disserunt. Agr. c. 4 sqq. = Cat. c. 5. Ig. c. 5 sqq., ubi Sallustius Catilinae et Iugurthae, Tacitus Agricolae mores et ingenium demonstrat. Conferantur maxime Agr. c. 5 (de Agricolae rudimentis) cum Ig. c. 5 (de Iugurthae iuventute). — Agr. c. 10—17 = Ig. 17—19, ubi Sallustius de situ Africae, Tacitus de situ Britanniae loquuntur. — Agr. c. 31—33 (orationes Calgaci et Agricolae) = Cat. 51—52 (orationes Caesaris et Catonis). Agr. c. 35—38 = Cat. 59—60, ubi proelia describuntur, qua proelii in descriptione Tacitus Sallustii locum (Ig. 101, 11) in usum suum convertit. —

Libro de Germania misso transeamus ad historias, quarum initii dispositio non ita multum a Sallustio abhorret. Nomen historiarum num ad exemplum Sallustii, id quod Teuffelius[3]) voluit, Tacitus operi suo dederit, quamquam per se probabilitatem aliquam habet, certo diiudicari non potest, quoniam praeter Sallustium L. quoque Cornelius Sisenna, quem Tacitum legisse certum est (hist. III, 51), Asinius Pollio (cfr. ann. IV, 34) Cluvius Rufus (ann. XIII, 20. XIV, 2) opera sua historias appellaverunt. — Ceterum conferantur dispositiones librorum, quarum modo similes partes contra posui. —

---

[1]) cfr. Vell. II, 36. Sallustius in principiis statim Thucydidis aemulum egit, ita ut simpliciter quod sibi elegerit initium scribendi significaret neque pro illius aevi more philosophandi studio abriperetur, id quod in minoribus eius scriptis non ita cautum videmus.

[2]) De Tac. vit. et honor. p. 22 sq.

[3]) Uebersetzung des Tac. p. 131.

Sall. hist.	Ig.	*Cat.*	*Tac.* hist.
fr. 1. Res populi Romani M. Lepido Q. Catulo consulibus ac deinde militiae et domi gestas composui.			c. 1. in. Initium mihi operis Servius Galba Titus Vinius consules erunt.
fr. 2—4.			iudicat de rerum scriptoribus
		c. 3, 2.	et de historia
	c. 4, 3—4.	c. 3, 3—5. c. 4.	loquitur de se
fr. 5.			profitetur incorruptam fidem.
	c. 5, 1—2.	c. 5, 1—8. Catilinae morum descriptio.	c. 2—3 temporum, de quibus est scripturus, facies civitatisque morum descriptio. —
	Ig. 5, 3. Sed priusquam huiusce modi rem expedio, pauca supra repetam, quo ad cognoscundum omnia illustria magis magisque in aperto sint.	c. 5, 9. Res ipsa hortari videtur, quoniam de moribus civitatis tempus admonuit, supra repetere ac paucis disserere instituta maiorum domi militiaeque, quomodo rem publicam habuerint etc.	c. 4. Ceterum antequam destinata componam, repetendum videtur, qualis status urbis, quae mens exercituum — ut non modo casus eventusque rerum sed etiam ratio causaequenoscantur.
fr. 6—14 egressio.	c. 5, 4 — c. 10 egressio.	c. 6—13 egressio. c. 14 initium.	c 4—11 egressio. c. 12 initium.

Deinde loquentem facit Sallustius Micipsam (Ig. c. 10), cum Iugurtham in regnum adoptaret, Tacitus Galbam (c. 15—16), cum adoptaret Pisonem in principatum. Cetera minoris sunt momenti. —

In annalium initio Tacitus brevitatis studiosissimus fuit. Quoniam enim uno capite de formis diversis reipublicae omnibus et de historia disputavit, statim rem ipsam aggressus est. Verba, a quibus orditur 'Romam a principio reges habuere' usurpavit Sallustium secutus, qui in Cat. c. 6, 1 incipit: 'Urbem Romam habuere initio Troiani'. Haec verba Tacitum contra Sallustium disputasse acute coniecit Woelfflinius[1]); fabulam enim illam de Troianis hoc modo eum refutare voluisse. Cui obstare videtur, quod Tacitus de formis rei publicae, Sallustius de incolis urbis loquitur. Quod si vir doctus censet indicare Tacitum, cum isdem verbis uteretur, ac Sallustius, de regibus esse certam rem, de incolis omnia fabulosa, oppono Tacitum, quia scripturus erat de principatu, breviter repetisse rei publicae formas superiores, non quasi consummasse res

[1]) Philol. 26 p. 128.

civitatis, quod facere eum necesse fuisset, si Sallustium respexisset. Quam ob rem mihi videtur imitatus esse tantum verba Sallustii.[1]) —

Accedit aliud, unde Tacitum Sallustii disponendi morem in usum suum convertisse iudicaveris. Formulas enim dicendi, quibus narrationis cursum nectunt, egressiones indicant et finiunt, alia eiusmodi simillima reperies. Quamquam non omnes formulas, quas allaturus sum, ipsius Sallustii ad imitationem revocare necessario coacti sumus, tamen si magnae similitudinis rationem habemus, quae inter Sallustium et Tacitum in hac re intercedit, hunc illius exemplum secutum esse satis caute dicemus.

Conferantur Sall. Ig. 5, 1 bellum scripturus sum — quia tunc primum superbiae nobilitatis obviam itum est. Agr. c. 10 Britanniae situm populosque proferam — quia tum primum perdomita est. ann. II, 27 Eius negotii initium disseram — quia tum primum reperta sunt.

Sall. Ig. 5, 3 Priusquam huiusce modi rei initium expedio. Tac. hist. I, 51 nunc initia motus Vitelliani expediam. adde Germ. 27. hist. IV, 12. 48. ann. IV, 1.

Sall. Ig. 95, 2 Sed quoniam nos tanti viri res admonuit, idoneum visum est, de natura cultuque eius paucis dicere. Tac. hist. IV, 5 Res poscere videtur, quoniam iterum in mentionem incidimus viri saepius memorandi, ut vitam studiaque eius et quali fortuna sit usus, paucis repetam. adde Sall. Cat. 5, 9 Res ipsa hortari videtur, quoniam de moribus civitatis tempus admonuit, supra repetere ac paucis disserere. Ig. 5, 3 pauca supra repetam. Tac. hist IV, 48 si pauca supra repetiero. hist. II, 27 altiore initio repetam. ann. III, 24 paucis repetam. XV, 72 pauca repetam. XVI, 18 pauca supra repetenda sunt. —

Sall. Cat. 4, 3 de Catilinae coniuratione quam verissume potero dicam. Cat. 18, 1 de qua re quam verissume potero dicam. Tac. hist. IV, 48 Ea de caede quam verissime expediam. —

Sall. Ig. 4, 9 nunc ad inceptum redeo. Ig. 42, 5 quam ob rem ad inceptum redeo. adde Ig. 79, 10. Tac. hist. II, 38 nunc ad rerum ordinem redeo. ann. IV, 33 sed ad inceptum redeo. XII, 51 ad temporum ordinem redeo.

Sall. Cat. 5, 9 paucis disserere instituta maiorum. Tac. hist. II, 2 initia religionis paucis disseram. ann. II, 27 Eius negotii initium curatius disseram. disserere cum acc. eius rei, de qua disputatur, perraro invenitur. cfr. Nipp.-Andr. ad ann. I. 4, ubi locum ex Valerio Maximo laudant; adde Liv. 41, 6, 4 ad disserendas res quas gessissent. —

Sall. Cat. 7, 7 memorare possem — ni ea res longius nos ab incepto traheret. — Tac. ann. VI, 22 in tempore memorabitur, ne nunc incepto longius abierim.

---

[1]) adde Ig. 18, 1 Africam habuere initio Gaetuli et Libyes.

Sall. Cat. 20, 1 Catilina ubi eos — convenisse videt, tametsi cum singulis multa egerat, tamen in rem fore credens universos appellare, — orationem huiusce modi habuit. Tac. hist. I, 36 Postquam universa classicorum legio sacramentum eius accepit, fidens viribus et quos adhuc singulos exstimulaverat, accendendos in commune ratus pro vallo castrorum ita coepit.

B. De digressionibus.

Ex digressionibus historicis, quas Sallustius scriptis suis interposuit, videntur maxime esse memorabiles eae, in quibus civitatis mores inde a primordio urbis repetit; eiusmodi enim egressiones et in Catilina et in Iugurtha et in historiis [1]) reperimus ita quidem compositas, ut et sententiarum in ordine et saepe ad verba inter sese consentiant, quibus in egressionibus Sallustius civitatis imaginem acute subtiliterque expressit. Neque Tacito eae non magno opere videntur placuisse; in egressione enim, quam inseruit historiis (II, c. 37—38), cum civitatis mores breviter adumbraret, cum ex sententiis tum ex verbis facile agnoscitur alter Sallustius.

Sall.	*Tac.*
Cat. 10, 1—3. Sed ubi labore atque iustitia res publica crevit, — saevire fortuna coepit. Igitur primo pecuniae, deinde imperii cupido crevit.	c. 38. Vetus ac iam pridem insita mortalibus potentiae cupido cum imperii magnitudine adolevit erupitque; nam rebus modicis aequalitas facile habetur. [2])
Cat. 10, 2. Sed ubi — reges magni bello domiti, nationes ferae et populi ingentes vi subacti, Carthago aemula imperii Romani ab stirpe interiit — saevire fortuna ac miscere omnia coepit. — hist. I. 10 (11). Postquam remoto metu Punico simultates exercere vacuum fuit, plurumae turbae, seditiones et ad postremum bella civilia orta sunt.	Sed ubi subacto orbe et aemulis urbibus regibusve excissis securas opes concupiscere vacuum fuit, prima inter patres plebemque certamina exarsere. Verba, quae sequuntur 'modo turbulenti tribuni' et q. s. conferantur cum Ig. c. 41—42.
Ig. 42, 5 ex. Sed de studiis partium et omnis civitatis moribus si singulatim aut pro magnitudine parem disserere, tempus quam res maturius me deserat; quam ob rem ad inceptum redeo.	c. 38 ex. Sed me veterum novorumque morum reputatio longius tulit: nunc ad rerum ordinem redeo.

Sallustii more modoque composuit Tacitus etiam eam egressionem, qua disseruit de legibus (ann. III, 26—28) neque in egressionibus geographicis saepe ad illius exemplum sese non accommodavit. Conferri possunt:

---

[1]) Cat. c. 6 sqq. c. 38. Ig. c. 41—42. — hist. fr. I. 10 (11).
[2]) Cat. 37, 3 egestas facile habetur sine damno.

Sall. De situ Africae.

Ig. 17, 7. Sed qui mortales initio Africam habuerint quique postea accesserint aut quomodo inter se permixti sint — quam paucissimis dicam.

ibid. § 5. caelo terraque penuria aquarum.

Tac. De situ Britanniae.

Agr. c. 11. Ceterum Britanniam qui mortales initio coluerint, indigenae an advecti, ut inter barbaros parum compertum.

c. 12. multus humor terrarum caelique.

C. De orationibus.

Tacitum ex Sallustii orationibus multa in usum suum convertisse iam supra dixi, etsi orationes eorum non prorsus eodem spectant. Sallustius enim cum orationes plerasque scriptis suis insereret eum ad finem, ut ingenia moresque hominum memorabilium posteris traderet, quem finem secutum se esse ipse indicavit, cum scriberet in Ig. 30, 4: 'Sed quoniam ea tempestate Romae Memmii facundia clara pollensque fuit, decere existumavi unam ex tam multis orationibus eius perscribere', sententias atque universum orationis colorem magna cum arte ad eos accommodavit. Sed Taciti orationes pertinent multo magis ad narrationem pragmatice, ut ita dicam, nectendam, ita ut res ipsae quo in statu unicuique verba facienti fuerint, et quibus quisque causis rationibusque adductus quamque rem exsecutus sit, plerumque demonstretur. Sed cum aliis in rebus tum in orationibus Tacitus non idem est in scriptis prioribus, qui in annalibus. Orationes enim, quae sunt in Agricola et historiis, scholam moremque rhetoricum redolent multo magis, quam quas annalibus inseruit Prorsus Sallustii ad exemplum composuit orationes Calgaci et Agricolae (Agr. c. 30—32).

Cat. 58, 18 or. Catil. Cum vos considero, milites, et cum facta vostra aestumo, magna me spes victoriae tenet. Animus aetas virtus vostra me hortantur, praeterea necessitudo, quae etiam timidos fortis facit.

hist. IV. 61 (19), 17. An ignoras Romanos postquam ad Occidentem pergentibus finem Oceanus fecit, arma huc convertisse — neque quicquam nisi raptum habere quibus non humana ulla neque divina obstant quin socios amicos, procul iuxta sitos, inopes potentesque trahant excindant.

Ig. 31, 11. Servi aere parati iniusta imperia dominorum non perferunt: vos Quirites in imperio nati aequo animo servitutem toleratis?

Agr. c. 30 or. Calg. Quotiens causas belli et necessitatem nostram intueor, magnus mihi animus est, hodiernum diem consensumque vestrum initium libertatis toti Britanniae fore. —

Raptores orbis postquam cuncta vastantibus defuere terrae, et mare scrutantur, — si locuples hostis est, avari, si pauper, ambitiosi, quos non Occidens non Oriens satiaverit: soli omnium opes atque inopiam[1]) pari adfectu concupiscunt.

c. 31. Nata servituti mancipia semel veneunt atque ultro a dominis aluntur. Britannia servitutem suam cottidie emit, cottidie pascit.

[1]) cfr. Cat. 11, 3 avaritia neque copia neque inopia minuitur.

Verba 'clausos quodam modo ac vinctos (sc. Romanos) di nobis tradiderunt' Woelfflinius comparat cum Ig. 59, 3 neque diutius Numidae resistere quivissent, ni pedites cum equitibus permixti magnam cladem in congressu facerent; quibus illi freti non, uti equestri proelio solet, sequi dein cedere, sed advorsis equis concurrere, implicare ac perturbare aciem; ita expeditis peditibus suis hostis paene vinctos dare', cum pro 'victos', quod est in libris manuscriptis, scribendum censeret 'vinctos'; quam emendationem perpauci comprobaverunt. Sed expeditis peditibus opponi possunt tantummodo hostes vincti, non victi; interpretor enim verba in hunc modum: „So übergaben sie ihren durch Nichts behinderten Fusssoldaten die Feinde beinahe gefesselt." Si vero lectionem librorum retinueris, intellegi non potest, cur Sallustius verbum 'expeditus' addiderit. Jacobs-Wirz verba 'expeditis peditibus suis' vix recte interpretantur „durch Anwendung ihrer leichten Fusstruppen"; nam sic equites enuntiati subiectum esse non possunt, id quod requiritur propter 'ita'. —

Cat. 58, 9—10. Si vincimus, omnia nobis tuta erunt — sin metu cesserimus, eadem illa advorsa fient. — adde Ig. 114, 2 omnia virtuti suae prona. —	c. 33 or. Agr. — omnia prona victoribus, atque eadem victis adversa. —
Ig. 51, 4 in armis omnia sita. —	arma et in his sita omnia.

Praeterea conferantur:

hist. IV. 61 (19), 1 ep. Mithr. Omnes, qui secundis rebus suis ad belli societatem orantur, considerare debent, liceatne tum pacem agere; dein quod quaesitur, satisne pium tutum gloriosum an indecorum sit.	hist. II, 76 or. Muciani. Omnes, qui magnarum rerum consilia suscipiunt, aestimare debent, an quod inchoaturi, rei publicae utile, ipsis gloriosum an promptum effectu aut certe non arduum sit.
Cat. 52, 35 or. Cat. — alii intra moenia atque in sinu sunt hostes.	hist. III, 38 or. Vit. — in urbe ac sinu cavendum hostem.
Ig. 10, 4 or. Micips. — Non exercitus, non thesauri praesidia regni sunt, verum amici, quos neque armis cogere neque auro parare queas.	hist. IV, 52 or. Titi. — Non legiones, non classes perinde firma imperii munimenta, quam numerum liberorum; nam amicos tempore fortuna cupidinibus aliquando aut erroribus imminui transferri desinere. — hist. IV, 7. Nullum maius boni imperii instrumentum, quam bonos amicos.
Cat. 20, 16 vel imperatore vel milite me utimini.	hist. IV, 66 or. Civil. — seu me ducem seu militem mavultis.
Ps. Sall. ep. ad Caes. II, 13, 6 (Jord.) Quippe si morbo iam aut fato huic imperio secus accidat, cui dubium est, quin per orbem terrarum vastitas bella caedes oriantur?	hist. IV, 74 ex. or. Cereal. — Nam pulsis quod di prohibeant Romanis, quid aliud quam bella omnium inter se gentium existent? —
Ig. 49, 2—3 or. Iug. — Quae ab imperatore decuerint, omnia suis pro-	hist. V, 17 or. Civil. Quae provideri astu ducis oportuerit, provisa, cam-

visa, locum superiorem et q. s. — illum diem aut omnes labores et victorias confirmaturum aut maxumarum aerumnarum initium fore.

or. Caesaris.

Cat. 51, 8. Si digna poena pro factis eorum reperitur, novum consilium adprobo: sin magnitudo sceleris omnium ingenia exsuperat, eis utundum censeo quae legibus comparata sunt.
§ 15. Equidem ego sic existimo, patres conscripti, omnis cruciatus minores quam facinora illorum esse.
§ 4. Magna mihi copia est memorandi, p. c., quae reges atque populi ira aut misericordia impulsi male consuluerint: sed ea malo dicere, quae maiores nostri contra lubidinem animi sui recte atque ordine fecere.
Cat. 51, 12—13 or. Caes.
Cat. 52, 7 or. Catonis.
Saepenumero, patres conscripti, multa verba in hoc ordine feci; saepe de luxuria atque avaritia nostrorum civium questus sum.
Cat. 51, 42. —
Ig. 4, 2. Cuius de virtute, quia multi dixere, praetereundum puto, simul ne per insolentiam quis existumet memet studium meum laudando extollere.
Ig. 85, 17 or. Marii. — Nam gerere quam fieri tempore posterius, re atque usu prius.

pos madentes et q. s. — illum diem aut gloriosissimum inter maiores aut ignominiosum apud posteros fore.[1])

or. Lepidi.

ann. III, 50. Si, patres conscripti, unum id spectamus, quam nefaria voce Clutorius Priscus mentem suam et aures hominum polluerit, neque carcer neque laqueus ne serviles quidem cruciatus suffecerint: sin flagitia et facinora[2]) sine modo sunt, suppliciis ac remediis principis moderatio maiorumque ac vestra exempla temperant et q. s. — est locus sententiae, per quam neque huic delictum impune sit et nos clementiae ac severitatis non paeniteat.

ann. IV, 40 or. Tiberii.
ann. XIV, 43 or. C. Cassii.
Saepenumero, patres conscripti, in hoc ordine interfui, cum contra instituta et leges maiorum nova senatus decreta postularentur: neque sum adversatus, non quia dubitarem super omnibus negotiis melius atque rectius olim provisum sed ne nimio amore antiqui moris studium meum extollere viderer.
ann. XV, c. 20—21 or. Paeti Thraseae. Nam culpa quam poena tempore prior, emendari quam peccasse posterius est.

---

[1]) Similiter ann. II, 14 quae sapientia provisa aptaque imminenti pugnae disserit. Non campos modo militi Romano bonos et q. s., ubi Draegerus lectionem codicis Medicei 'praevisa' frustra retinuit.

[2]) cfr. Sall. Cat. 14, 1. 2. 23, 1. 37, 5. — Tac. ann. VI, 6. — Sallustii ad exemplum Tacitus nectit inter sese alia quoque substantiva *a*) synonyma. Ig. 54, 5 non proeliis neque acie bellum gerundum. Ig. 97, 4 non acie neque ullo more proelii incurrunt. Tac. ann. III, 39 neque aciem aut proelium dici decuerit, in quo — hist. IV, 58 adversus quos non proelium et acies parantur. Sall. Cat. 31, 8 Catilinam hostem atque parricidam vocare. Tac. hist. I, 85 hostem et parricidam Vitellium vocantes. ann. XV, 73 Iunium Gallionem hostem et parricidam vocans. — 'quies et otium' Ig. 66, 2. hist. I. 41 (45), 9. — Agr. 6. 21. 42. — 'pax et concordia'. hist. I. 41 (45), 24. I. 48 (51), 5. 10. 13. — Tac. hist. I, 56. II, 20. III, 80. — *β*) diversae inter sese significationis. 'caelo terraque' Ig. 17, 5. Curt. 4, 29, 6 Tac. hist. I, 3. ann. VI, 37. — 'diu noctuque', quod sumpserunt a veteribus. Ig. 38, 3. 44, 5. 70, 1. hist. II. 54 (63). — Tac. hist. II, 5. ann. XV, 12. — 'fortuna famaque'. Cat. 51, 12. Tac. hist. I, 48. III, 32. V, 10. 'fama fidesque' Ig. 16, 3. Tac. hist. I, 30.

D. De hominum descriptionibus.

Ac primum Sabina Poppaea, cuius ingenium Tacitus in annalium libri tertii decimi capite 45 describit, ei quasi altera Sempronia (Cat. 25) ante oculos versata esse videtur.

Sall.	*Tac.*
Sed in eis erat Sempronia. — Haec mulier genere atque forma, praeterea viro liberis satis fortunata fuit; — sed ei cariora semper omnia quam decus atque pudicitia fuit: pecuniae an famae minus parceret, haud facile discerneres: lubido sic accensa ut saepius peteret viros quam peteretur. — Verum ingenium eius haud absurdum: posse versus facere iocum movere, sermone uti vel modesto vel molli vel procaci.	Erat in civitate Sabina Poppaea. — Huic mulieri cuncta alia fuere praeter honestum animum. Quippe mater eius — gloriam pariter et formam dederat; opes claritudini generis sufficiebant. Sermo comis nec absurdum ingenium[1]): modestiam praeferre et lascivia uti. — Famae nunquam pepercit maritos et adulteros non distinguens.

Deinde confer descriptionem Catilinae apud Sallustium (Cat. 5) cum Seiano apud Tacitum (ann. IV, 1). —

Cat. 5, 3. Corpus patiens inediae algoris vigiliae, animus audax, cuius rei lubet simulator ac dissimulator. — Vastus animus immoderata incredibilia nimis alta semper cupiebat. — Hunc lubido invaserat rei publicae capiundae neque id quibus modis assequeretur, dum sibi regnum pararet, quicquam pensi habebat.	Corpus illi laborum tolerans, animus audax, sui obtegens, in alios criminator: iuxta adulatio et superbia: palam compositus pudor, intus summa apiscendi libido eiusque causa modo largitio et luxus saepius industria ac vigilantia, haud minus noxiae, quotiens parando regno finguntur.

Contraria Catilinae imago est Servius Galba.

Cat. 5, 4 alieni adpetens sui profusus.[2])	hist. I, 49 pecuniae alienae non adpetens, suae parcus.

Tiberium quia, cum vetere senatus consulto de servis in dominum quaestio vetita esset, actori publico eos mancipari iussit, ut nihilominus testes essent, vocat Tacitus 'callidum et novi iuris repertorem' (ann. II, 30). Apud Sallustium in re simillima Romani a Mithridate vocantur 'callidi ac repertores perfidiae' (hist. IV, 61 [19] 7).

IV, 58. — Cat. 31, 7 demisso voltu voce supplici. Tac. hist. I, 45 voce vultuque. III, 58 vultu voce lacrimis. ann. III, 67. XV, 55. XVI, 29. Ig. 14, 5 quo tempore magis fides eius quam fortuna petunda erat. Tac. hist. IV, 28 meliore usi fide quam fortuna. Ig. 31, 10 sacerdotia et consulatus ostentantes. Tac. hist. I, 2 sacerdotia et consulatus ut spolia adepti.

1) cfr. hist. III. 62 Fabius Valens procax moribus neque absurdus ingenio.

2) adde Cat. 12, 2. Tac. Germ. 31. Dial. 29.

Neronem Tacitus appellat, 'incredibilium cupitorem' (ann. XV, 42); similiter Catilinae 'vastus animus incredibilia semper cupiebat' (Cat. 5, 5).

Atriam Gallam, uxorem Pisonis, 'sola corporis forma commendatam' dicit (ann. XV, 59); pari modo Sallustius de Aurelia Orestilla 'cuius praeter formam nihil unquam bonus laudavit' (Cat. 15, 2).

In Comparationem denique vocentur:

Ig. 8, 1 complures novi atque nobiles clari magis quam honesti[1]).

hist. II, 20. Vibius Crispus pecunia potentia ingenio inter claros magis quam inter bonos.

E. De rerum narratione.

Scriptores rerum Romani proeliorum vices, vastationum turbas, ducum fortia facta memorabilesque interitus quanto opere saepe rhetorice exornaverint, satis pervulgatum est. Eiusmodi descriptiones, quas vir doctus quidam appellavit „schulmässige Elaborate", ut omnes historici excepto Caesare, ita maxime Sallustius et Tacitus ex studiis rhetoricis in historiam transtulerunt. Iam Lipsius doctissimus Taciti interpres monuit proelii descriptionem in Agricola ad Sallustii exemplum confectam esse (Ig. 101, 11. — Agr. 37), sed aliis quoque locis Tacitus Sallustium secutus est, velut conferri possunt Agr. c. 36 cum Ig. 94, 6, hist. III, 17 cum. Cat. 60, 4 et Ig. 98, 1, hist. III, 77 cum Ig. 99, 3.

Ig. 51, 1. Ceterum facies totius negotii varia incerta nihil consilio neque imperio agi, fors omnia regere.
hist. I. 96 (98) exterriti sine rectoribus equi.
hist. fr. inc. 55 (21) more equestris proelii sumptis tergis atque redditis.

hist. IV, 29 ex. Tum vero strepitus dissoni, concursus incerti nihil prodesse virtus, fors cuncta turbare. —
ann. I, 49 cetera fors regit.
Agr. 36 equi sine rectoribus exterriti.
ann. VI, 35 equestris proelii more frontis ac tergi vices.

Sed Sallustianae narrationis similitudo agnoscitur maxime eo loco, quo Tacitus de divisione Thraciae inter Rhescuporidem et Cotyn reges disserit (ann. II, 64).

Ig. 16, 5. In divisione, quae pars Numidiae Mauretaniam attingit, agro virisque opulentior, Iugurthae traditur; illam alteram specie quam usu potiorem — Adherbal possedit.
c. 20 1 Iugurtha in regnum Adherbalis animum intendit. Ipse acer bellicosus; at is quem petebat, quietus imbellis.

In ea divisione arva et urbes et vicina Graecis, Cotyi, quod incultum ferox adnexum hostibus, Rhescuporidi cessit; ipsorum regum ingenia illi mite et amoenum, huic atrox avidum et societatis impatiens erat. Sed primo subdola concordia egere, mox Rhescuporis egredi fines — immittere latronum globos, excindere ca-

[1]) cfr. Liv. 8, 27, 6.

§ 3. Igitur ex improviso fines eius cum magna manu invadit — aedificia incendit existumans eam rem belli causam fore et q. s. in c. 20, 3. — c. 25, 6.	stella, causas bello — et q. s. in c. 65.
c. 25, 6 — metu atque lubidine divorsus agitabatur; timebat iram senatus, ni paruisset legatis, porro animus cupidine caecus ad inceptum scelus rapiebatur.	c. 66 inter metum et iram cunctatus maluit patrati quam incepti facinoris reus esse.

Restat, ut in comparationem vocemus sententias aliquot et locutiones, quae ad Taciti studia Sallustiana videntur revocandae esse.

	Agricola.
Ig. 10, 8 — ne ego meliores liberos sumpsisse videar quam genuisse.	c. 7 maluit videri invenisse bonos quam fecisse.
Cat. 53, 1. Cato clarus atque magnus habetur. — Ig. 92, 1 Marius magnus et clarus antea maior atque clarior haberi coepit.	c. 18. Clarus ac magnus haberi Agricola.
Cat. 59, 1. Dein remotis omnium equis, quo militibus exaequato periculoa nimus amplior esset, ipse pedes exercitum instruit.	c. 18. Ipse ante agmen, quo ceteris par animus simili periculo esset.
Ig. 53, 8 sua quisque fortia facta ad caelum fert: Quippe res humanae ita se habent: in victoria vel ignavis gloriari licet, advorsae res etiam bonos detrectant.	c. 27. Atque illi modo cauti ac sapientes prompti post eventum ac magniloqui erant. Iniquissima haec bellorum conditio est; prospera omnes sibi vindicant, adversa uni imputantur.
	historiae.
Ig. 84, 1 — sese consulatum ex victis illis spolia cepisse. adde hist. I. 41 (45), 7. III. 61 (82), 6.	I. c. 2 sacerdotia et consulatus ut spolia adepti.
hist. fr. inc. 94 (63) more humanae cupidinis ignara visundi. Ig. 93, 3 more ingenii humani cupido difficilia faciundi.	c. 22 cupidine ingenii humani obscura credendi. — hist. V, 13 more humanae cupidinis.
Cat. 2, 4 imperium facile eis artibus retinetur, quibus initio partum est.	c. 30 nemo enim umquam imperium flagitio quaesitum bonis artibus exercuit. — adde hist. I. 83. ann. I. 9.
Cat. 5, 6 neque id quibus modis adsequeretur, dum sibi regnum pararet, quicquam pensi habebat.	c. 46 dum mercedem centurioni exsolveret, neque modum oneris quisquam neque genus quaestus pensi habebat.
hist. I. fr. 10 (11) plurumae turbae, seditiones et ad postremum bella civilia orta sunt.	ibid. — ad seditiones et discordias et ad extremum bella civilia ruebant.
Ig. 27, 1 idem illi ministri regis. — Ig. 25, 2 ab isdem illis regis fautoribus.	II. c. 33 idem illi deterioris consilii auctores.
hist. IV. 61 (19), 17. socios amicos procul iuxta sitos.	c. 74 procul vel iuxta sitas vires. adde hist. IV, 12. ann. II, 62.

Cat. 18, 8. Quodni Catilina maturasset pro curia signum sociis dare, eo die post conditam urbem Romam pessimum facinus patratum foret.	III. c. 27. Id facinus post conditam urbem luctuosissimum foedissimumque rei publicae populi Romani accidit.
hist. fr. inc. 101 (70). Rebus supra vota fluentibus.	c. 48 cunctis super vota fluentibus. — ann. XV. 5 nec praesentia prospere fluebant. — dial. 5. —
hist. I. 41 (45), 11 — populus Romanus paullo ante gentium moderator, exutus imperio gloria iure.	c. 68. Romanum principem et generis humani paullo ante dominum relicta fortunae suae sede per populum per urbem exire de imperio.
hist. I. 88 (98) quasi formidine attonitus neque animo neque auribus aut lingua competere.	c. 73 velut captus animi non lingua non auribus competere. — ann. III. 46 oppidani neque oculis neque auribus satis competebant.
Cat. 58, 17 audacia pro muro habetur.	ibid. — audaciam pro latebra haberent.
hist. I. 41 (45), 17 bona civium miserorum quasi Cimbricam praedam venum aut dono datam.	IV. c. 2 is pecuniam familiamque e principis domo quasi Cremonensem praedam rapere. — ann. XIII. 18.
hist fr. inc. 25 (III. 72) patentis et pacis modo effusas (urbis).	c. 15 vagos et pacis modo effusos lixas.
hist. fr. inc. 97 (66) — ut tanta repente mutatio non sine deo videretur. —	c. 78 — nec sine ope divina mutatis repente animis.
Ig. 64, 2 ne super fortunam animum gereret.	V. c. 1 ut super fortunam crederetur.
Cat. 16, 2 fidem fortunas pericula vilia habere. — hist. II. 41 (50), 3 deos penatis meos patriamque et summum imperium vilia habeo.	c. 5 parentes liberos fratres vilia habere. — ann. XII. 65 cuncta regno viliora habere.
Ig. 49, 2 ne pauciores cum pluribus manum consererent.	c. 16 pauciores nuper cum pluribus certasse.
	Annales.
Cat. 46, 1—2. Omnia propere per nuntios consuli declarantur. At illum ingens cura atque laetitia simul occupavere: nam laetabatur et q. s. — porro autem anxius erat. —	I. c. 52. Nuntiata ea Tiberium laetitia curaque adfecere. Gaudebat oppressam seditionem; sed quod largiendis pecuniis favorem militum quaesivisset, angebatur.
hist. I. 48 (51), 3 se e contempto metuendum effecit.	c. 74 e contemptis metuendi sc. facti.
Cat. 30, 4 quibus omnia honesta atque inhonesta vendere mos est. — Ig. 80, 5. — 31, 12. —	II. c. 38 quibus omnia principum honesta atque inhonesta laudare mos est. —
Ig. 6, 3. Terrebat eum natura mortalium avida imperii — ad hoc studia Numidarum in Iugurtham accensa.	III. c. 4. Nihil tamen Tiberium magis penetravit quam studia hominum accensa in Agrippinam.
Ig. 42. — Quae res plerumque magnas civitates pessum dedit, dum alteri alteros vincere quovis modo et victos acerbius ulcisci volunt.	c. 66. Quod multos etiam bonos pessumdedit, qui spretis, quae tarda cum securitate, praematura vel cum exitio properant.
Cat. 10, 1. Sed ubi labore atque	IV. 1. Nonus Tiberio annus erat com-

iustitia res publica crevit, — Carthago — ab stirpe interiit, cuncta maria terraeque patebant, saevire fortuna ac miscere omnia coepit.
hist. fr. inc. 76 Kr. sanctus alia.
Ig. 3, 4 potentiae paucorum decus atque libertatem gratificabatur.
Ig. 97, 4. Simul consul ex multis de hostium adventu cognovit, et ipsi hostes aderant.
hist. III. 67 col. IV. D. iuxta seditionem erant.
Ig. 21, 2 — et ni multitudo togatorum fuisset, uno die inter duos reges coeptum atque patratum bellum foret.

hist. I. 18 (20) ferocia regis Mithridatis in tempore bellaturi.
Ig. 73, 5 in maius celebrare.
adde in maius audire hist. II. 70(88)— componere hist. III. 60 (63).

Ig. 91, 7 genus hominum mobile infidum ante neque beneficio neque metu coercitum.
Ig. 25, 3 bonum publicum privata gratia devictum.

positae rei publicae, florentis domus, cum repente turbare fortuna coepit, saevire ipse aut saevientibus vires praebere.
ann. II. 72 saevienti fortunae.
c. 3 alia clarus.
c. 19 odiis Seiani per dedecus suum gratificabatur.
c. 25. Simulque coeptus dies, et concentu tubarum ac truci clamore aderant semisomnos in barbaros.
VI. 13 iuxta seditionem ventum.

XII. 16. Ac ni proelium nox diremisset, coepta patrataque expugnatio eundem intra diem foret. — adde ann. III. 47 tum demum Tiberius ortum patratumque bellum senatu rescripsit.
c. 50 tamquam adversus defecturos et in tempore rebellaturos.
XIII. 8 in maius celebrare.
adde in maius credere hist. I. 18. accipi I. 52. III. 7. innotescere IV. 50 — vulgare ann. III. 12. credere III. 44. audiri IV. 23. attollere XV. 30.
c. 26 — ut metu coerceantur, quos beneficia non mutavissent.
adde ann. IV. 30.
XIV. 38 bonum publicum privatis simultatibus impediebat.

Errata.

p. 27 v. 3 *μεσοῦν*) l. *μεσᾶν*.

Vita auctoris.

Natus sum Guilielmus Paulus Adolphus Georgius Schoenfeld anno h. s. LXI pridie idus Novembres Tentscheli, qui est pagus Silesiae, patre Paulo, matre Aemilia e gente Lachmann, quos adhuc superstites esse gaudeo. Fidem profiteor evangelicam. Primis litterarum elementis a patre institutus puer decem annorum gymnasio Ligniciensi adductus sum, quod per septem deinceps annos frequentavi. Maturitatis testimonium adeptus Universitatem litterarum Viadrinam Vratislaviensem adii anno h. s. LXXIX, ut studiis philologicis me dederem. In numerum civium academicorum receptus a v. d. Spiegelberg, qui tum fasces tenebat, interfui per tria semestria scholis, quas habuerunt viri doctissimi Dilthey, Hertz, Hillebrand, Kaibel, Partsch, Reifferscheid, Rossbach. Vratislavia relicta Universitatem litterarum Lipsiensem petii, cum fasces tenebat Ludovicus Lange; ad valetudinem firmandam per annum studia intermittere coactus iterum in numerum civium academicorum receptus sum. Scholis interfui, quas habuerunt viri doctissimi v. Bahder, Curtius, Heinze, Eckstein, Hildebrand, Holzapfel, Lange, Lipsius, Ribbeck, Strümpell, Wolff, Zarncke, Ziller. Sodalis fui per compluria semestria societatum Langii et Lipsii seminari que germanici extraordinarii atque exercitationibus Goticis, quas instituit v. Bahder, interfui.

Omnibus his praeceptoribus meis gratias ago quam possum maximas.

